Est 253
n° - 175

DE JURE POLITICO

DISSERTATIO

ADVERSUS STATUUM EUROPAE

HODIERNOS PERTURBATORES ET REBELLES,

SAPIENTUM JUDICIO SUBJECTA.

AUCTORE

JOSEPHO VIDAL,

E PRAEDICATORUM FAMILIA, IN VALENTINA ACADEMIA SACRAE THEOLOGIAE PUBLICO PROFESSORE.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA •

VALENTIAE:

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT.

Anno 1833.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA •

LECTORI.

De jure politico adversus hodiernos statuum Europae quin et totius etiam orbis perturbatores breviter tractaturus, è re procùl dubio foret expendere, num universaliora humanae cognitionis principia, quae sunt opinionum et sententiarum quasi elementa, sint illis nobisque communia: nemo enim alicujus erroris convincitur, nec persuaderi ei quidquam unquam potest, nisi juxta principia sive axiomata quae profiteatur. Verum quum animadverterem, novos hujus saeculi ideologos haec generaliora axiomata nedùm in dubium vocare, sed etiam eorum absolutam certitudinem, cavillationibus potiùs quam rationum pondere, obscurare, nimis operosum mihi visum est, rem hanc tam ab ovo sumere. Illud tamen minimè praetereundum puto, novam hanc, quam vocant, ideologiam seu philosophiae vacuitatem,

quae à multis jam retrò annis apud gallos viguit, eorumdem politicae inscitiae causam extitisse praecipuam. Et re quidem vera id injuria pronuntiatum affirmabit nemo, qui Vice-Comitem de Bonald scribentem (Recherches philosophiques sur les premiers objects des connaissances morales, *tom.* 1, *cap.* 1 de Philosophia) *legerit, nullum in Galliis designatum esse studentibus philosophiae sistema; sed indifferentèr eisdem indicata tantùm quorumdam scriptorum opera, cujuscumque sistematis illi fuerint aut opinionis: Baconis aeque ac Cartesii; Lockii ac Malebranchii; Condilliaci ac Leibnitii. Jam verò ex tali scriptorum ac opinionum varietate ¿quid boni sperandum, quodvè malum non timendum? Per se patet: ac deploranda nimis experientia id ipsum confirmat. Nam, quum ex inde desumtis ideis praeliminaribus pendeant posteà tàm politicae quàm morales civium sententiae, si verè ita se habet illud Bonaldii testimonium, et in quantum saltem cognitionum prima elementa in praedictas sententias influunt, non possunt hae non esse variae, confusae ac perturbatrices, si variae etiam sunt ac inter se oppositae priores illae, à quibus procedunt. Verbo: multa*

et opposîta admittere cognitionis principia, idem fere est, ac habere nulla; et latissimum aperire portam ad manifestissima quaeque in dubium vocanda. Testis sit ipse Bonaldius, qui ait: hoc etiam certitudinis generale principium, nullum in mundo esse effectum sine causa, *in dubium à multis serio revocatum esse.*

Neque tamen aequam opinandi libertatem tollimus; sed quod Doctor eximius in religiosis quaestionibus exigebat: in necessariis, scilicet, unitatem, in dubiis libertatem, in omnibus charitatem servandam: ea ipsa nos etiam in politicis flagitamus. Atque sicut privatae civium rationi necessarium esse ducimus, nonnulla inconcussa principia seu axiomata praesupponere, ad veras exinde eliciendas consequutiones, ita etiam expedit communi rerumpublicarum rationi, communia similitèr quaedam principia admittere et revereri, unde eorumdem politicus ordo et legislatio emanet: tùm ut ex veris legibus vera itidem unitas et ordo consistant; tùm etiam ut, iis multitudo indubitantèr innixa, facilius in suis officiis contineatur. Hodierna studiorum methodus, ab optimo Rege nostro Ferdinando praescripta, Codicem Partitarum, et Summam

theologicam Divi Thomae Aquinatis foeliciter inter alia explicanda ac illustranda designat.

Huic ergo, quod et hispanum appellare lubet, doctrinae studio ac judicio inhaerendo, et, rejectis ideologorum futilibus subtilitatibus, aequivocam aut obscuram hucusque efformatam ideam naturae et originis societatis humanae, exili licet ac tenui, quo polleo, et ingenio et dicendi genere, brevitèr discutiendam suscipio: et contra eos qui eam humanae institutionis, et pacto tacitò vel expresso fundatam dicunt; et contra alios illustriores certè ac prudentiores, qui negantes, vel saltem non admittentes democraticas et anarquicas consequutiones, ex doctrina pacti socialis deductas, earum nihilominùs radicem, nescio qua erga communem scriptorum juris naturalis ac gentium sententiam observantia aut honore irretiti, veriti sunt abscindere. Quapropter ne horum, meritò adquisita bona existimatio, gravius fortassè rebus publicis detrimentum pariat, radicem hanc ex quorumcumque scriptis, et communitèr ab omnibus utendo receptis principiis, evellere statui. Ad rem.

DE JURE POLITICO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ARTICULI PRIMI,

CAPITIS SECUNDI,

Ethicae particularis Francisci Jacquierii : de societate in genere et juris politici origine, *illustratio atque emendatio.*

I. Statum civilem inventum humanum fuisse, statuque naturali, in quo homines omninò liberi et aequales fuerunt, multò posteriorem, communis juris naturalis ac gentium scriptorum et recentiorum fere omnium philosophorum fuit errori obnoxia sententia : à plurimis etiam aliis auctoribus, bona procùldubio fide ac judicio caeteroquin praeditis, amplexata. Hos inter recensendus etiam Jacquierius, qui de hominis officiis in sua Ethica particulari agens, ea in primo capite, quatenùs homo sui juris est nullique auctoritati subjectus, considerasse se, ait, de iisdem, eo in societate jam constituto, in

secundo acturus. Verum ii deplorandas consequutiones quas exinde pronum erat, ut superbia aliique inordinati hominum affectus elicerent, non animadverterunt. Cumque tumultus ac perturbationes, quibus his temporibus fere omnes Europae respublicae commoventur, earumque imminens communis ruina et labes, illarum consequutionum effectus sint, ad societatis humanae generàtim sumptae originem et naturam penitius investigandam ac introspiciendam, et ejusdem societatis bonum commune, et publici doctoris susceptum munus, nos cogunt. Triplici conclusione, ut brevitati et studentium captui consulamus, id efficiemus. In prima, societatis humanae originem, argumentis et à ratione et ab auctoritate petitis, statuemus: in altera juris politici, quod ejusdem societatis vinculum ac nexus est, existentiam et naturam definiemus; in tertia, de legibus civilibus earumque obligatione aliquid strictim tractantes, ea quae tironibus scitu màgis necessaria sunt attingemus. Verum sunt quaedam anteà

PRAENOTANDA.

II. 1º Ut omnis ambiguitatis tollatur occasio, terminorum aut vocum, quibus praesens quaestio continetur, sensus explicandus est, ne

logomachia inutilitèr laboremus. Atque in primis quid per hominis naturam, essentiam aut statum naturalem ejus intelligatur, constituendum. Essentia aut natura hominis definitione comprehenditur, quà, aut phisicae, cam considerando, dicimus, compositum cum esse ex anima intellectiva et corpore, aut dum, methaphisicae sumendo, asserimus, esse animal rationale. Verùm quocumque modò homo aut ejus natura in ejusdem tractatione sumatur, certum est, de homine in communi sive in abstracto sermonem iniri, non de eo quatenùs individuum est, et ut in rerum natura et extra mentem et causam existit.

Natura autem humana in communi sive in abstracto considerata eadem quidem est in omnibus hominibus; eoque modò sumpti homines aequales certè sunt. Nullibi verò existere potest illa, nec alicujus alterius substantiae natura, nisi iis conditionibus sociata ac determinata, quibus individuum aut suppositum consistat. Unde homines quantùm ad eorum naturam in abstracto sumptam omninò aequales sunt; sed eo sanè modò nunquàm extiterunt nec existere potuerunt; sed proùt individui tantùm, et ut realitèr in mundo existunt: quo certè modò sunt inaequales. In opusculo vulgari lingua conscripto, cui titulus est: *Orígen de los errores*

revolucionarios de Europa y su remedio, id, et universum sistema politicum, quod hac Dissertatione summatim comprehenditur, fusius explicatur. Tom. 1, à pag. 121, num. XXV et XXVI, cap. II.

III. 2º Cum hominis praetereà natura non solum corpore sed anima etiam aut mente et ratione constet, naturale homini dici potest, et quod ei convenit ex parte corporis, et quod ex animae et secundum rationem. In iis autem quae ad societatem et ordinem moralem spectant, illud tantum dicendum est homini naturale, quod ei convenit secundum rationem; qua liberi est arbitrii, et caeteras omnes substantias corporeas supereminet. Nisi enim in hoc sensu sermo accipiatur, multa quasi naturalia recenserentur, quae rationi, quae praecipuum est humanae naturae constitutivum, minimè cohaerent.

IV. 3º Pro certò etiam habendum est, primum hominem non à se ipso tò esse accepisse. Quod enim à se ipso esse accipit, sive quod est causa suae propriae existentiae, existit necessario; adeoque semper: quod de homine, ostendetur modò, affirmari non posse. Neque ab alio creari idem homo potuit quam à Deo. Omne enim ad cujus productionem potentia cujuscumque causae creatae se extendit, ex materia praeexistenti constare debet, ex qua educatur;

quod de anima hominis, quae est immaterialis et praecipua ejusdem hominis pars, dici nequit. A solo ergo Deo creatus est homo.

V. 4º Praesupponendum etiam est, hominem non semper extitisse; idque triplici probatur ratione. Prima, quia ad ejus naturam pertinet actu existere per generationem; atqui quod per generationem incipit esse, non potuit semper extitisse. Quod enim per generationem existit, posterius est tempore, non solum generante, sed etiam sufficienti ipsius ad generandum aptitudine. Neque necessaria est tantum haec temporis posterioritas, ut, claritatis gratia, scholae verbis utamur, unicuique hominum singulàtim sumpto; sed et universo humano generi in communi; quia numerus non est nisi qualitas aut accidens rebus numeratis extrinsecum: et quod alicui individuo convenit essentialitèr, convenire etiam debet omnibus ejusdem speciei individuis. Alia ratio cur homo non potuit semper extitisse, est, quia, si semper extitisset, quum anima ipsius sit immortalis, infinitus earum numerus nunc remaneret, quod est absurdum; quum nullum detur infinitum actu nisi solus Deus. Tertia ratio, quae opponitur existentiae humani generis ab aeterno, est, quia quum hominis generatio tempore commensuretur, infiniti in ea hipothesi praecessissent menses et anni: et illi

his aequales fuissent ; cùm non possit unum infinitum esse majus alio. Hoc autem repugnat illi evidenti ac vulgato axiomati , quod ait: *Totum est majus sua parte.*

VI. 5º Sed neque solitarius creatus est, hoc est, unicum in sua specie individuum. Si enim talis formatus fuisset, multiplicari nullo modò potuisset; quum ad cujuslibet alterius productionem duae personae requirantur, masculus, scilicèt, et foemina, seu pater et mater. Omnis enim alia quaecumque hominis productio diversa à communi et à nobis cognita generatione, ut deliramentum insipientium rejicienda est, quae nullam refutationem meretur. In societate igitur conjugali, à Deo ipso immediatè constituta, creatus est homo. His autem positis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Publicae societatis statum homini naturalem esse, in eoque fuisse jam à Deo primos homines constitutos, et ratio naturalis, et sacrae Scripturae documenta evincunt.

PROBATIONES A RATIONE SUMPTAE.

VII. 1ª Tàm societas conjugalis quàm domestica seu familia homini naturales sunt, et ad generis humani conservationem necessariae; atqui, ut ipsae etiàm conserventur et suum assequantur finem, juxta praescriptum legis naturalis et rectae rationis, debent legibus societatis publicae subjici, ab iisque gubernari, ergo. Major deducitur evidentèr ex praenotatis, et à nemine negari potest. Minòr autem non est minùs certa: quum enim in nullo rerum genere possit permanere et stare ordo inferior et particularis, nisi superiori et universaliori ordini subjiciatur, et tàm ordo conjugii quam familiae sit ordo particularis et quasi individuus, hoc est, publicae societatis ordini et directioni subordinatus, nec societates conjugales, nec domesticae seu familiae potuerunt unquàm conservari, et juxta

praescriptum legis naturalis convenientèr dirigi, nisi alicujus públicae auctoritatis directioni subjectae. Leges, quibus in omni benè constituta republica tam conjugum quam familiam constituentium jura ac officia mutua statuuntur ac proteguuntur, id luculentèr ostendunt. Nec iis, aut conjugibus aut familiam constituentibus, cujuscumque conditionis extiterint, repugnare unquàm licuit. Quod si aliquis hominum esset status, in quo hujusmodi leges contemnerentur, non in eo unitas aut societas, sed anárquia et societatis dissolutio existeret. Adeo siquidem evidens est, in omni societate aut statu necessarium esse ordinem, ut ii ipsi rebelles ac statuum perturbatores, qui illum hodiè in Europa evertunt, non nisi ordinem et legum observantiam in ore habeant, idque revera cupidissime expostulent; sed eum tamen praeposterum ordinem eamque legum interpretationem et observantiam volunt, quae illorum imaginationi, libidini, instabilitati, privatisque aliis cupiditatibus affectibusque conveniat. Videlicèt, id demum flagitant, ut in populis eorum ratio praevaleat; ab iisque, qui ex privata conditione publicis imperantibus obedire debent, respublicae teneantur: quod non nisi in earum perturbationem ac exitium redundare potest.

VIII. Dicet fortassè aliquis cum Jacquierio,

benè quidem haec omnia se habere, postquam apud homines sunt respublicae constitutae; non verò ab initio et sub regimine patriarchali, quandò tam familiae, seorsim sumptae, quam singuli homines unamquamque familiam constituentes, naturali gaudebant libertate; ita ut uniuscujusque actiones ab alterius voluntate non penderent. Dein verò nulla dubitatio esse potest, quin ad tuendam pacem servandamque communem utilitatem, unum elegerint illae familiae, qui gubernandis crescentibus illis magis idoneus judicaretur. Respondetur enim, non solum fictitiam esse praedictam libertatem naturalem, sed et ipsi etiam legi naturali et rectae rationi contrariam. Quin immò et doctrinae, quam in responsione ad prima objectionem idem praecitatus auctor affert, parùm est consona. Si enim à primis mundi temporibus viguit societas paterna, in qua parentes erant filiorum principes naturales et politici, neque ullum erat tunc pupillaris majorisque aetatis discrimen, ut ille ait, nec ulla profecto unquàm fuit apud homines libertas naturalis, qua unius actionis ab alterius voluntate non penderent; sed filiorum actiones parentum suorum directioni semper subjici debuerunt, si ii illorum tunc erant principes naturales absque ullo inter pupillarem mojorisque aetatis discrimine. Ex recta siquidem ratione et

lege naturali jus competit parentibus, filios educandi et dirigendi. Dicendum igitur est, primum hominem, primum Principem in mundo fuisse, primum Magistrum, et primum adeò etiàm Legislatorem; cujus praeceptis, quae, in quantùm bonum publicum respiciebant, verè et propriè primae mundi leges fuerunt, et conjux ipsa et filii subjici debuerunt; et non quidem tacitò aut proprio illorum consensu, ut malè hic auctor adjungit, sed quia id evidentèr et lex naturalis et recta ratio semper praescripsit. Nàm et necessario certum est, eos qui nihil adhùc sciebant, à primo Magistro in omnibus edoceri et gubernari debuisse, et à nullo alio communis doctrina et publicum hominum regimen derivari in alios homines melius potuit, quàm ab eo qui fuerat à Deo edoctus.

IX. Verùm quidem est, tempus quod à primo homine ad olimpiadas usque graecorum efluxit, valdè obscurum fuisse, ut quid tùnc màgis apud homines invaluerit, neutiquàm nobis nùnc clarè innotescat; cum nulla illius aetatis extet historia nisi sacra, quae, cum philosophis agendo, et non nisi naturali rationis lumine ductis, à nobis in hac probatione praetermittenda videtur. Sed quodcumque tandèm fuerit primis illis temporibus publicum hominum regimen, necessario tamen verum est, legitimum

illud, vel illegitimum esse debuisse. Legitimum fuit, si ad praescriptum ordinationum publicarum, à primo homine ac legislatore editarum, fuit constitutum; illegitimum, si contra ejusmodi ordinationes fuit inventum. Et primitivae etiàm familiae, quae absque ullo fundamento et contra naturalem ordinem supponuntur liberae et nulli alieno imperanti subjectae, aut verè tales erant, aut non. Si liberae fuerunt et independentes, totidem fuerunt publici status, nationes aut populi. Si primo homini, aut alicui alio ejusdem successori subditae, non erant liberae; sicque nunquàm extitit illa libertas, quae à politicis perturbatoribus hodiè naturalis audit.

X. 2º Dei perfecta sunt opera; atqui societas naturalis et non politica, in qua homo quilibet suarum actionum foret supremus arbiter, non modò non esset perfecta, sed valdè imperfecta ac inordinata, utpotè confusione ac perturbatione plena: ergo non illa hominum societas libertatis ac aequalitatis, quae naturalis malè à Jacquierio vocatur, et in rerum primordiis extitisse supponitur, sed politica et civilis, in quà sublimioris potestatis nùnc ordo servatur, à Deo est instituta. Et certè quum in praesenti hominum statu maxima eorum pars cupiditatis impetu màgis quam rationis et veritatis ductu

feratur, et nulla probabilis ratio naturalis occurrat, qua indicari possit, illos non semper tales extitisse, remedium, quod adversus gravissimum hoc malum in societate civili supremaque auctoritate nùnc adest, eamdem cum hominibus habere debuit antiquitatem, et à Deo ipso, eorum omnium sapientissimo Provisore, institui et ordinari.

XI. 3ª Terra et omnia quae in ea sunt, ad hominis sustentationem et usum sunt à Deo creata; atqui multa in suis visceribus ipsa continet et producit ei utilissima et necessaria, sive ad vegetabilium genus spectent, sive ad animalium, sive ad mineralium, quibus frui non potest, nisi in statu publicae societatis constitutus: ergo. Major est evidens, atenta hominis suprà omnes creaturas corporeas perfectione. Minor autem probatur. Quum enim omnia illa non in qualibet plaga et sub omni coeli temperie tellus edat, sed in variis ac saepè dissitis ejusdem locis; et homo non in multis, sed in aliquo tantum eorum habitare contingat, illis profecto bonis aut remediis frui non potest, nisi comercii ope; quod sanè non viget sine publica societate. Aliquibus enim legibus illud subdi debet, quae supponunt et spectant ad publicam societatem. Publicae igitur societatis status est homini naturalis.

XII. 4ª Ex quo homo à Deo est creatus, signata in ejus est mente cum recta ratione lex naturalis, quae non est aliud, nisi participatio legis aeternae in humana creatura; atqui à lege naturali necessario emanat in hominibus, sicùt radius à sole, status publicae societatis, ergo. Prob. min. Prima splendentia principia legis naturalis sunt: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; *facque aliis quod tibi vis ut alii faciant* et alia similia; undè procedunt officia tùm perfecta, tùm imperfecta quae aliis debemus hominibus, quae quidem communem societatem cum illis exigunt et supponunt. Adeo autem id verum est, ut posteriorum horum temporum juris naturalis scriptores plurimi, maximè qui Puffendorfii sistema secuti sunt, ordinem naturalem rerum invertentes, jus naturale à societate seu *socialitate* sumendum esse statuerint. Hoc est, solem à radio nasci crediderunt; quod tamen aperte est falsum, quantùmvis hanc nostram conclusionem aliundè confirmet.

Probationes ex sacra Scriptura depromptae.

XIII. 1ª Deus creavit hominem ad imaginem et similitudinem Trinitatis; atqui haec imago et similitudo Trinitatis ad hoc maximè

extenditur, ut in publica societate vivat, ergo publicae societatis status est homini à Deo praescriptus et naturalis. Major est Gen. cap. 1, vers. 26, ubi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, per quae verba *faciamus*, *et nostram* intelligunt communitèr sancti Patres Trinitatem Personarum. Minorem autem probat ipse Christus Dom. pro omnibus hominibus Patrem orans, apud Joann. cap. XVII, v. 21, per haec verba. *Ut omnes unum sint, sicùt tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me missisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicùt et nos unum sumus.* Hoc est, dedit hominibus Christus claritatem gloriae adoptionis filiorum Dei, ut sint unum fidei et charitatis vinculo, quemadmodùm Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus unum sunt identitate naturae. Neque haec charitas, qua ex voluntate Dei debent homines esse unum, impletur satis actibus internis, qui possent perfici extra societatem; sed utriusque generis requiruntur actus, interni, et externi, dicente Joanne, Ep. 1ª, cap. 3, v. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*; et etiàm: *qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit*

viscera sua ab eo; ¿quomodò charitas Dei manet in eo? Charitas ergo Dei, qua debent homines conformes fieri imagini Filii sui, et inter se esse unum, officia benevolentiae et misericordiae erga alios exigit: pauperibus subveniendo, infirmis juvando ac ministrando, afflictos consolando, errantes corrigendo, et alia similia benevolentiae signa praestando: quae societatem quidem publicam supponunt, efficiunt et fovent.

XIV. 2ª Status multorum hominum ac familiarum, quibus Reges praesident et publicè imperant, est status publicae societatis; atqui talis hominum status est status naturalis, utpotè à Deo institutus, ergo. Prob. min. Prov. cap. 8, v. 15, ait Deus: *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Eccli. cap. XVII, v. 14, scribitur: *In unamquamque gentem praeposuit rectorem.* Et Rom. cap. XIII, v. 1º, ait Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quae autém sunt à Deo ordinatae sunt.* Ordinatae, inquam, non quidem remotè et mediatè, ut nonnulli interpretantur, ajentes, publicae societatis regendae auctoritatem Deum populis aut nationibus immediatè tradere; per horum autem

voluntatem in Reges aut Principes eamdem auctoritatem transmitti. Non enim dicitur Deus propriè aliquid efficere, aut illarum rerum propriè eum esse auctorem, quae homo, proprio marte et solertia ductus, adinvenit et exequitur; quantùmvis illa, non nisi voluntate et ratione à Deo accepta, perficiat. Eo namque modò omnia humani ingenii inventa et artefacta Dei instituta essent: quum nihil horum homo agat, nisi quia vult, et ratione ad ea disponenda dirigitur. Sed cum sacra Scriptura, de supremae humanae potestatis origine verba faciendo, ordinem societatis, hoc est, auctoritatem imperandi in sublimioribus potestatibus et obligationem obediendi in subditis, ipsi essentialem, à Deo esse affirmat, propriè id et immediatè Deo convenire, ipsam edocere, intelligendum est; quandòquidem non id ad executionem gubernationis, quam Deus mediantibus aliis causis perficit, pertinet, sed ad ipsam communem gubernationis rationem; de qua dicit Gregorius (apud S. Thomam, 1ª Part., Quaest. 22, art. 3: *Mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit*. Status ergo et ordo publicae societatis, humani generis conservationi et perfectioni necessarius, à Deo est institutus et ipsi homini naturalis.

XV. 3ª Prima familia, ex qua universum

genus humanum manavit, à Deo creata est, ut *cresceret, multiplicaretur et repleret terram* (Gen. 1, v. 28), atqui praestare id non poterat, nisi simùl esset societas publica, ergo. Prob. min. Praestare id non poterat sine jure coercendi eos, qui eidem multiplicationi ac propagationi obstarent, ipsosque, dùm opus fuisset, morte plectendi; quod tamen non competit nisi societatis publicae summae Potestati: status ergo publicae societatis homini naturalis est, in eoque fuerunt jàm à Deo primi homines constituti.

XVI. 4ª Et re quidem vera prima hominum societas post diluvium, octo animabus constans: Noë, scilicèt, cum uxore sua, tribusque filiis, cum suis uxoribus, naturalis fuit, à Deo constituta, atque ad genus humanum propagandum ab universali exitio servata; atqui haec prima omnium societas, non solum fuit societas domestica seu familia, sed etiàm publica seu civilis, ergo. Major à nemine, ut puto, negabitur. Prob. min. Jus vitae et necis non nisi societati publicae, aut summo in unaquaque republica imperanti, convenit; atqui hoc jus commissit ipse Deus primordiali illi societati, ergo. Major est certa. Sic tamen probari posset, si negetur. Unicuique societati aut ejus praeposito non competit aliud jus, quam, quod ejusdem

societatis finis et objectum exigit; atqui finis et objectum societatis domesticae seu familiae, quod est conveniens educatio filiorum, non exigit tale jus: quod nec benè aliunde cum paternali amore ac benignitate componitur; sed ad publicum externum ordinem servandum tantum requiritur, ergo. Prob. autem min. Gen. IX, vv. 1 et 6, haec leguntur. *Benedixit Deus Noë et filiis ejus, et dixit ad eos: crescite et multiplicamini, et replete terram.... Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*, ergo primordiali in mundo post diluvium societati, ex praecitatis octo individuis compositae, commissit ipse Deus jus vitae et necis. Sive ergo sumatur haec prima humana societas tanquàm domestica seu familia, sive tanquàm publica et civilis, eo quod ex quatuor conjugiis erat conflata, certum semper est, Deum immediatè et per se ipsum, toti ei fuisse allocutum; delicta ejus tàm publica, quam privata condonasse; quasi pactum aeternum cum omni ea pepigisse; legesque demum ad ejusdem conservationem et propagationem accommodatas, praescripssisse: quod propriè ac perfectè est statum politicum seu publicum constituere. Constat igitur ex sacra Scriptura, publicae societatis statum homini naturalem esse, in eoque fuisse jàm à

Deo primos homines constitutos. Atque nisi hodiernae publicae societati hanc divinam originem tribuamus, jus vitae et necis, quod ad ejusdem conservationem et ordinem est necessarium, et ab hominis consensu nequit oriri, ei non competeret.

XVII. 5ª Superaddi etiàm posset his quatuor probationibus alia quinta ex infirmitate sive fundamenti destitutione, qua laborare videtur sententia opposita, desumpta. Quaeri enim potest ab ejus defensoribus: ¿Ubinàm, et quandò in mundo viguit status anarquichus primitivus, hoc est, status multarum familiarum ab invicem independentium et liberarum? Fatebuntur illi namque, se nescire: quandòquidem certò illis non constat status politici primitiva erectio. Verum nullam dubitationem esse posse, fortassè cum Jacquierio reponent, quin, *crescente ab initio familiarum numero* (Philosoph. moral. part. II, cap. II, art. I,), *familiae illae ad tuendam pacem, servandamque communem utilitatem, pro sua naturali libertate, unum elegerint, qui gubernandis crescentibus familiis màgis idoneus judicabatur.... totamque auctoritatem vel ei tantum vel pluribus detulerunt.* Quod tamèn nos non tàm dubitandum, quam omninò rejiciendum hac Dissertatione contendimus: libertatemque familiarum separatarum

et independentium, quae status seu respublicas per se non constituant, non modò non naturalem, sed fictitiam esse, ratione et auctoritate evinci. At, quum ea doctrina ferè generalem scriptorum approbationem fuerit adepta, lectori tantummodò nostram hanc opponimus, ut, si fortè eam ad statuum perturbationes fraenandas existimat accomodatiorem: qualemcumque probabilitatem ipsius argumenta continere videantur. Et si quidem rem hanc ab ovo sumimus, praedictaeque approbationis primam causam volumus investigare, haec nobis probabilis fortassè videbitur: eos qui hucusque hanc quaestionem màgis ex proposito politicè tractaverunt, sacrae Geneseos Scripturae, quae antiquissima omnium est, et de qua posteriores omnes, etiàm ethnici, de rerum exordiis sua meliora acceperunt, non tàm sensum quàm litteram respexisse. Indè enim factum est, ut, quum nullum mundi regnum in ea nominetur antè Nimrodum, nec Adamum, nec Noachum, nec ullum alium tanquàm reges habuerunt; sed statum publicae societatis seu politicum, veluti ab aegiptiis aut graecis, et circa praedicti quidem Nimrodi aetatem, inventum, censuerunt. Regnandi etiàm officium, quasi ex vi aut superbia ortum, ab ejusdem ministerii sanctitate separare nescierunt. Quod mihi non modò cum ratione, sed

cum ejusdem Scripturae sensu pugnare videtur.

XVIII. Atque in hanc sententiam praecipuè adducor ex consideratione perfectissimi ordinis, quo divina Sapientia hominem condidit: qui et in statu etiàm innocentiae aliis dominatus fuisset (D. Thom. 1. part. quaest. 96, art. 4, et quaest. 94, art. 3,), et adeò perfectus primus formatus est, ut alios posset instruere et gubernare; quam gratiam sine causa accepisset, nisi reipsa instruxisset eos ac gubernasset. Undè per illa *omnia*, de quibus legitur, Sap. X, v. 2. *Dedit illi virtutem continendi omnia.* Gr. Εδωκε τε αυτῷ ισχυν *κρατησαι απαντων*, intelligenda puto tàm ratione destituta quàm ratione praedita: quum eodem verbo utatur idem sacer Scriptor, ubi de Regibus ait: Cap. VI, v. 3. *Praebete aures vos, qui continetis multitudines*: Gr. Ενωτισασθε οι κρατουντες πληθους. Est enim *κρατειν* imperium ac potestatem in aliquos habere: undè *κρατος* et *κρατησις* pro dominatione ac imperio sumitur. Secundum itèm mundi hominem, Cainum, fuisse etiàm Principem, sive legitimum, sive illegitimum, innuere quoque videtur ipsa Scriptura, quae ait, *aedificasse eum civitatem, vocavisseque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Civitas autem, qualiscumque ea sit, sine jure civili publicaque in ea potestate, non subsistit: quum eo nomine non designetur

BIBLIOTECA UNIV. SEVILLA

nisi stabilis habitatio complurium familiarium consociatarum, sicut *domus* nomen unius tantum familiae habitationem significat. Nec minùs paritèr indicatum arbitror in eadem sacra Scriptura secundi mortalium omnium Parentis, Noachi, imperium. Certùm enim videtur, antè dispersionem noachidarum, unam extitisse, ex îllo enatam, societatem publicam, nationem aut populum, dicente Domino: Gen. XI, v. 6. *Ecce unus est populus, et unum labium omnibus*: cui non nisi ipse existimandus est, juxta S. Philastrium infrà citatum, divississe orbem ac praefuisse; et à quo Nimrodus paulò post, rebellando, defecit. ¿Ubinàm ergo, et quandò in mundo viguit illa multarum familiarum naturalis libertas? ¿Ubinàm, et quandò extiterunt familiae disjunctae, quae inire posteà publicam societatem elegerunt?

XIX. Objic. 1º contra primam conclusionis partem. Ille societatis status non est naturalis nec à Deo institutus, qui non semper in mundo viguit; sed quem hominum malitia aut communis ipsorum utilitas, quasi necessarium, tempore procedente, fecit; atqui sic se ab initio res habuit, ergo. Prob. min. Quum enim naturalis ratio demonstret, homines natura esse aequales et liberos, ita ut actiones unius ab alterius voluntate non pendeant, probabilè est, primitivarum

familiarum filios adultos et aetate provectos, tacitò veluti consensu, patriae potestati mansisse subjectos, eamdemque, cum qua nati erant et creverant, auctoritatem agnovisse; ipsarumque familiarum dein crescente numero, unum aut plures elegisse, qui gubernandis omnibus màgis idoneus judicaretur, ergo. Resp. neg. min. et ejus probationem. Ut enim suprà dictum est, fictitiae omninò sunt praedictae primitivi hominis, qualitates aequalitatis et libertatis. Et quod ad aequalitatem quidem spectat, adeò id est evidens, ut oculis etiàm corporis veluti pateat, et per quam modico rationis lumine omnium mentibus innotescat. Nàm maxima inaequalitas, quae hodiè in statu civili apparet, et de qua adeò vehementèr conqueruntur constitutionum politicarum reformatores, aliundè provenire non potest, quam ab ea quae supponitur, et existit, in statu, qui ab iisdem naturalis vocatur. Nec minùs etiàm est manifestum, fictitiam paritèr esse libertatem publicam, qua homines primitus potitos fuisse, multi credunt. Immò nunquàm minùs talis libertas apud homines existere potuit, quam in illorum primordiis, de quibus affirmatur. Quum enim tùnc maximè. genus humanum conservari et multiplicari deberet, ad quod aliquis societatis publicus ordo requiritur, nunquàm minùs existere potuit illa libertas.

quae omnem externum ordinem in hominibus excludit, quam ab illorum origine. ¿Quis enim sibi persuadeat, sapientissimum omnium Conditorem adeò humani generis negotium in prima sui institutione neglexisse, ut illud publicè inordinatum perturbatumque relinqueret, quandò communi et publico ordine màgis indigebat? Quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiù in eis majorem operam diligentiamque impendimus, quoadusque ea jàm in terra coaluisse videmus: et si semèl radices egerint, eorum solicitudinem curamque abjicimus. Primus ergo homo, qui omnium pater et magister à Deo fuit constitutus, naturali potiorique jure, quam qui posteà civilia in mundo obtinuerunt imperia, filiorum nepotumque suorum fuit etiàm princeps et dominus. Adultos eos et in aetatem provectos eamdem, cum qua nati erant et creverant, auctoritatem agnovisse, credendi sunt. Et non quidem proprio illorum consensu sive tacito sive expresso; sed quia ità illis lex naturalis praescribebat, ordoque societatis, recentèr tùnc editae, deposcebat. Quemadmodùm et hodiè qui ubicumque adultam atingunt aetatem, illi Principi manent subjecti, sub cujus ditione nascuntur et crescunt. Quumque obscurissima nobis sint illa primitiva et antiquissima tempora, hoc est, quod videri probabilius potest, sive ad

perfectissimam Dei providentiam, sive ad valdè nobis notam hominis conditionem attendamus. Quae his minùs consona supponuntur à multis, nullo sàtis probabili nituntur fundamento; aut istud illi afferant et exponant, ne à nobis tanquàm gratis confictum jure ac meritò habeatur.

XX. Objic. 2º cum Heineccio (de jur. nat. et gent. lib. II, cap. VI, §. CX,). Narrat Herodotus, Hist. lib. III, pag. 124. Quod quum persarum principes consulerent quondam de republica instituenda, et forma popularis aut democratica, quae Otani, potenti cuidam, placebat, caeteris displiceret: quumque, neque praeesse ille cupiens neque subesse, postulasset, ut suo jure tamen ibi liceret vivere, permissum id ei fuisse; etiàm postquàm monarchica reipublicae forma fuit à caeteris amplexata: indèque factum esse, ut sola haec Otani familia inter persas in statu naturali viveret, nulli mortalium obnoxia. Populos autem decernere debere, qualè futurum sit suum politicum regimen, confirmat etiàm romanae reipublicae institutio. Ut enim refert Dionisius Halicarnaseus, auctor *politicissimus* (Antiq. Rom. lib. II, pag. 80,), quum Romulus vocata concione, populum rogasset, ecquam reipublicae formam reliquis anteferendam existimarent, monarchicam etiàm elegerunt, regiam potestatem eidem Romulo deferentes. Ex

quibus hoc videtur elici argumentum. Ille status non est homini naturalis, nec à Deo institutus, quem homines non assumunt, nisi, vel consensu ultroneo, ubi primum ac praecipuum *pactum* praecedere debet, nempè, quo omnes consentiunt in rempublicam aliquam constituendam, et aliud item in quo decernant iidem, qualè futurum sit suum regimen: vel vi aut coactione aliqua interveniente; atqui sic se habere statum publicae societatis seu statum politicum, praedicta et alia innumera documenta historica ostendunt, ergo &c.

XXI. Resp. nego suppositum. Videlicèt, quod homines non sunt jàm in statu societatis, antequàm illum assumant aliquo ex modis praedictis. Homo fuit à Deo constitutus in societate, sicut piscis formatus in elemento aquae. Et sicut iste conservatur in quacumque aqua naturali, sive maris ea sit, sive fluvii aut lacus, et sive in ea nascatur, sive in eam projiciatur, aut in eamdem sua sponte prosiliat, tantò verò meliùs, quantò illa sit salubrior et purior: ita quoque homo, ex quo ejus ratio societatis beneficio expedita facta est, et ad dirigendum prompta, in eadem societate permanere debet, nec ei licet ipsius legibus repugnare, eo quod legis naturalis necessaria sunt documenta. Potest benè quidem ab una particulari societate in aliam, sive

ab uno societatis genere in aliud transire aut trahi, sicùt piscis à mari in lacum aut flumen permeare aut projici: ut autem licitè id fiat, et status ab eo assumptus sit legitimus, oportet, ut ad illum recta ratione sit ductus; sine qua nihil in mundo morali est legitimum et naturale.

XXII. Malè igitur ab Heineccio afferuntur praedicta exempla, quae circà societates particulares versantur, ad probandam originem totius societatis humanae generàtim sumptae; non solum quia ex particulari non sequitur universale, sed quia ex secundariae aut derivatae rei cujusque formatione ferri multò minùs judicium potest de formatione primariae ejusdem aut alterius rei in eodem genere. Aliud et valdè diversum est judicium aut consequentia, quae ex praeallatis exemplis mihi elicienda videtur; et est hujusmodi: ergo antiquissimi jàm sunt in mundo homines rebelles et seditiosi, qui, subjectionis suis principibus debitae jugum excutientes, et dominandi cupidine vehementèr incensi, status suos perturbaverunt: rapinis eos, caedibus, aliisque violentiis et injuriis replentes ac corrumpentes. Nàm et his viis in populorum perniciem iniqui fere omnes politicas suas innovationes inducere omni tempore consueverunt.

XXIII. Sit ergo ad praefata exempla facilis et prompta responsio: et horum statuum aut rerumpublicarum novae institutiones turbulentae fere semper fuerunt et criminosae; utpotè contrà ordinem societatis praeexistentis factae, concedo: et fuerunt legitimae politici regiminis institutiones; ità ut haberi possint tanquàm licita et vera pacta civilia ea, quae exindè pseudophilosophi et perduelles colligenda credunt, nego. Mirum autem est, homines sanè eruditos, et adeò methodum et viam certam in veritatis investigatione proclamantes, juris civilis originem à factis incertis, et verosimilius injustis, repetendam putare: quod fere idem est, ac si nos totius proprietatis originem à latrociniis aliquibus publicis deduceremus. Non ità certè se habet methodus nostrae scholae, adeò illis invisae; quae à clarioribus et certioribus ad ea, quae minùs clara sunt et certa, procedendum docet.

XXIV. Ut autem nonnihil de utròque facto, seòrsim sumpto, proferamus, Herodotus in primis suspectae fidei scriptor nobis hac in re videtur: non solum quia, juxta criticos, rebus veris fabulas frequentèr admiscet; sed quia politicae libertatis adeò fuit nimis amans, ut pro ea patriam suam, Cariam, deserere, et Samum migrare praetulerit. Dato autem, veram

omninò esse nihilominùs hanc ejus narrationem, dicimus, apud persas, etiàm antequàm occiderentur magi qui fùrtim regnaverant, si res ita verè se habuit, aliquem debuisse fuisse legitimum principem, aut aliquod ibi legitimum politicum regimen extitisse: quum sine eo nulla natio aut populus subsistere possit, et furtum rei furatae verum dominum semper supponat: nullumque adèò inter ipsos primates consultationi fuisse locum; sed regnum ei, cujus fuerat, reddi debuisse. Otanis verò familia, si ei proprio jure aut libertate inibi subsistere permissum est, veluti natio aut populus independens haberi debet; quin ex hac ejus conditione aut fortuna erui meritò possit, hominem ulla publica libertate naturaliter esse donatum.

XXV. Quod autem ad romanae reipublicae institutionem spectat, hoc est, quod primùm exploratum esse deberet, ut ea tanquàm legitima haberetur: àn, scilicèt, fuerit aequum aut iniquum objectum quod primi ejus fundatores, albani, latini, et pastores aut latrones sibi in sua illa colligatione proposuerunt. Et de Romulo quidem ait Eutropius Brev. lib. 1. *Is cum inter pastores latrocinaretur*. Verùm non videtur aliis, verbum *latrocinari* praecisè semper in malam partem sumi debere; sed in bonam plerumque potiùs, prout significat, in armis se

exercere iisque uti contra viarum agrorumque vicinos insidiatores ac grassatores. Hoc sensu Romulum et Remum latrocinatos fuisse, putat Plutarcus. Et Plaut. in Mil. Glor. act. II, Scen. ult.

¿An quia latrocinamini, arbitramini,
Quidvis licere facere vobis. verbero?

Et Gracus de Nonio: *Qui apud Regem in latrocinio fuisti.*

XXVI. Quidquid verò sit de hujus aut cujusvis alterius reipublicae particularis prima institutione, ut plurimum, tanquàm criminosae et illegitimae habendae sunt omnes: eo quod ex generali hominum repugnantia ad obediendum, et nimis vehementi imperandi cupidine nasci consueverint; quod facilè ac candidè confitebatur, qui aiebat: *Si violandum est jus, regnandi causa violandum est; caeteris in rebus pietatem colas.* Temporis tamèn progressu et virtute legum, legitimam auctoritatem, ut in regimine permanerent, adeptae sunt. Atque tantùm abest, ut earum prima compositio, quemodòcumque se habuerit, probet naturalem esse homini statum publicae libertatis, quin potiùs evincat oppositum. Semper enim et ubicumquè multi homines in historia commemorantur, aut aliquod ejusmodi facinus agressi narrantur, non nisi consociati et sub aliquo capite aut duce

copulati inveniuntur: quae naturae praeclara vox est, apertè docentis, ab ea proficisci apud ipsos publicae societatis statum. Atque ut ità sentiamus, auctor nobis est ipse Heineccius (Jur. nat. et gent. lib. II, cap. V, §. XCIII,). Abrahamum, Isaaccum et Jacobum, tanquàm Principes familiarum segregum, majestatis jura exercuisse, asserens. Hoc est, leges tulisse; supplicia à sontibus sumpsisse; foedera cum aliis pepigisse, bellumque tandèm aut pacem fecisse cum hostibus: undè et Nicolaum Damascenum allegat (Exerpt. Peiresc. pag. 490,), ajentem, Abrahamum *regnasse* apud Damascum, et Justin. itèm, (XXXVI, 2,) ipsum Abrahamum et Israel *Reges* appellantem.

XXVII. Objic. 3º Narrat Sextus Empiricus adversùs *Mathem.*, lib. 2, eam fuisse apud veteres persas consuetudinem, ut, defuncto rege, per quinque dies sine ullo principe essent, atque in omnimoda et naturali libertate viverent; ex quo sic argumentari licet: publicae societatis status aliquod politicum regimen civilemque ordinem exigit; atqui ejusmodi ordinis existentiam non esse perpetuam et naturalem, sed ab hominum arbitrio et voluntate pendere, praedicta persarum consultissima consuetudo demonstrat, ergo.

XXVIII. Resp. Dist. min. Et praefata

persarum consuetudo publicam libertatem merè permittebat; concedo: eam tanquàm naturalem agnoscebat et approbabat; nego. Et quidem consuetudines aut etiàm leges quorumcumque populorum ac gentium non sunt nisi rationes vel opinamenta eorum hominum, qui jus habet et debent illa edere, ad bonum publicum promovendum: quae certè eo màgis ad verarum et justarum legum naturam accedunt, quo màgis immediatè et indubiè à lege divina naturali, rectae rationis lumine, deducuntur. Quaedam earum sunt merè permissivae alicujus mali, ad majora vitanda; sive ad aliquod indè bonum etiàm eruendum: idque ad supremi et sapientissimi Legislatoris, Dei, imitationem, qui nihil mali sineret esse in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens et bonus, ut bonum faceret etiàm de malo. Quod praedicta persarum consuetudo evidentèr probat, illud est maximè, homines nimis adeò inordinatè libertatem amare, ut contrà hujusmodi amorem, ipsius libertatis publicae gravissimum malum, ii duxerint permittendum. Eo siquidem id faciebant consilio, ut supremae potestatis necessitatem plebs experimento cognosceret. Experiebantur enim brevissimo illo anarchiae tempore, homicidiis aliisque criminibus multis societatem turbari et devastari. Et nemo erat, qui in tanta scelerum

confusione, cujuscumque principis aut politici regiminis auctoritatem non cuperet.

XXIX. Objic. 1º contra secundam conclusionis partem. Publicae societatis status non datur sine principibus aut aliquibus politicum in saeculo imperium tenentibus, qui precipuè et propriè potentes in terra dicuntur; atqui primus hujusmodi potens fuit Nemrod, juxta illud Gen. 10, v. 8: *Ipse coepit esse potens in terra*, ergo juxtà sacram Scripturam status publicae societatis nec est homini naturalis et à Deo institutus, nec eamdem cum hominibus habet antiquitatem. Resp. Dist. min. Fuit Nemrod primus potens aut princeps legitimus et vera auctoritate munitus ad imperandum juxtà legis naturalis praescriptum; nego: fuit primus potens aut princeps tirannus, vi et armis alios sacrilegae suae rationi subjiciens; subdistinguo: fuit primus ejusmodi tirannicum imperium gerens quantum ad aliquid eidem imperio accesorium et accidentale; concedo: fuit primus talis tirannus absolutè; nego. Et quidem Nimrodum principem tirannum fuisse, usurpatumque ac injustum imperium obtinuisse, communis omnium sacrorum interpretum sententia est. Immò idololatriae ipsum auctorem et parentem Hieronimus, Cirillus et alii faciunt: eumdem habentes pro Belo, à quo *bel*, *baal*, et *baalim* sirorum, phoenicum

et aliarum gentium. Aut igitur injusta et prava est apud omnes homines politica eorum actualis societas, aut ab alio quam ab imperio Nimrodi legitimam ducit originem. Rebellem itèm hunc fuisse, nomen ejus declarat: quod à radice, *marad*, *rebellavit*, descendit. Rebellionem autem auctoritas aliqua necessario praecedere debet, adversus quam ipsa machinetur et fiat. Undè probabile est, ut dicemus infrà, Nimrodum adversus proavum suum Noë rebellionem excitasse: comparataque vi et calliditate copiarum potentia, regnum Babilonis in terra Senaar condidisse.

XXX. Sed et antè ipsum alios etiàm similis iniquitatis homines potentes, superbos et aliorum hominum oppressores extitisse, eadem sacra Scriptura testatur, Gen. VI, v. 4, ubi vocat eos gigantes, hoc est, nephilim נפלים à radice, seu verbo *naphal*, quod est cadere, deficere, vel humiliari; eo quod ad eorum conspectum, sive ob corporis vires ac magnitudinem, sive ob animi superbiam ac ferocitatem, alii caderent, deficerent et humiliarentur. At hi non videntur sàtis numerosum populum subjecisse, ut possent seòrsim proprium regnum efformare: quod ille posteà consequutus est. Scimus etiàm Noëmum, Chami posteros, hoc est, filios Chanaan aliis duobus filiis suis Semo

et Japheto subdidisse: quod societatem quidem, et rectoriam sanè eam ac inaequalem, supponit; licet hanc Scriptura expressè non nominet. Cainus quoque in generis humani primordiis civitatem aedificaverat, vocaveratque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch. Gen. IV, v. 17. Civitas verò, quantùmvis ex rudi materia, et ob ferarum aut hominum metum, ut quidam volunt, fundata, sinè civili et publica societate non subsistit. Quinimmò, quum civitas non sit, ex S. Augustino et communi sententia, nisi hominum coadunatio sub legum vinculo, incredibilè omninò est, solam familiam Cain, quae malorum ac rebellium tenet typum, hunc ordinum, à Deo decretum, adinvenisse, non autem filios Seth, qui pro obedientibus, bonis et justis habentur; licet Scripturae littera civitatis aedificationem, quae pro seculari et mundana ibi procùldubio commemoratur, non nisi illis attribuat. Nullo ergo modò potest status publicae societatis à Nimrodo repeti.

XXXI. Objic. 2º Publicae societatis statum, ut naturalem et necessarium, in mundo prioribus temporibus viguisse, nullibi in sacra Scriptura constat. Immò voluntariè illum homines admisisse, regemque sibi ad libitum contituisse, non solum in gentibus, verùm etiàm in populo Dei, cujus regimen fuit theocraticum,

patriarchale et amore plenum, sàtis manifestè apparet. Deuteron. enim cap. XVII, v. 14, ad filios Israel dicit Dominus : *Quum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me Regem, sicùt habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit. Quumque fuerit constitutus.... habebit secum Deuteronomium legis hujus, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum.... ut longo tempore regnet ipse et filii ejus super Israel.* Ex quibus verbis eruitur, disperso per omnem terram genere humano post diluvium, morem generalem apud gentes fuisse, in societatem publicam voluntariè coalescere, regemque sibi, prout libuit, constituere: eumdemque morem ac facultatem populo etiàm Israel, licet regimine speciali aut theocratico per duces aut judices eo usque gubernato, à Deo ipso tandèm fuisse concessam. Quum enim à Samuele Regem posteà flagitassent, indicatumque ac praedictum eis fuisset jus Regis quem postulabant, omnia sua addecimandi, eosdemque ipsos in servitutem redigendi; illum tamèn ab eo, quasi in poenam suae defectionis, obtinuerunt. Sic ergo exindè argumentari licet. Ille status non est naturalis nec

à Deo institutus, quem homines tùm ethnici tùm fideles, voluntariè semper assumpserunt, imperium etiàm tirannicum sibi eligentes; atqui talis est status societatis publicae seu politicus, ergo.

XXXII. Resp. dist. maj. Status quem homines tùm ethnici tùm fideles voluntariè semper assumpserunt, imperium tirannicum sibi eligentes, non est naturalis nec à Deo institutus, quantum ad genericam ejus rationem, quae sufficit ad libertatem tollendam, publicumque apud ipsos ordinem statuendum; nego: non est naturalis nec à Deo institutus quantùm ad ejus formam particularem individuamque institutionem, quam vitiis homines ferè semper corrumpere consueverunt; concedo. Et ecce in societatum particularium institutione, sicùt et in aliis rebus multis, opus Dei, totius bonitatis et rectitudinis fons indeficiens, et opus hominis, defectuum et corruptionis foecundissima causa: ut tòt absurdissimorum errorum socialium, qui hodiè in Europa vigent et dominantur, ac miseriae et aerumnarum, quibus ejus populi proptercà premuntur, radicem in ipsius Dei ac sapientissimae ejusdem circà homines ordinationis ignorationem refundere debeamus. Ipsi gloria in saecula. Amen. Vult ergo Deus, ut homines in societate vivant; idque ut exequantur, non tantum lege

sua naturali omnibus illis praecepit, sed et mutuis eorumdem indigentiis ac utilitatum incitamentis ad eam amplexandam sapientissimo consilio veluti coegit: quemadmodùm et in ipsorum multiplicationis exercitio seu generatione voluptatem praecepto copulare providit. Ad hujus societatis conservationem et ordinem dominium imperantium in subditos adeò est, et fuit semper necessarium, ut etiàm in statu innocentiae extitisset: juxtà D. Thomam, 1ª part., quaest. 96, art. 4, à Dei propterea voluntate immediatè statutum: sicùt et divisio totius societatis humanae in varias societates particulares, quas status, respublicas aut regna vocamus. Quum enim unus esset populus in terra Senaar post diluvium, vellentque superbi illi homines turrim aedificare, dixit Dominus, Gen. cap. XI, v. 7: *Venite igitur descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ità divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.... et indè dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.*

XXXIII. Quinam verò sint in particulari summi imperantes, qui praeesse iis statibus aut regnis debeant, ad legum humanarum positivarum eorumdem statuum spectat designationem; quarum observantiam divina naturalis necessario

praescribit. Accidere quidem alicubi aut aliquando potest, ut nullae sint ejusmodi leges, quae imperii successionem decernant; at in eo casu, qui tamen infrequens ac perrarus est, aut ipse populus cum suis primatibus decerneret, non jure quidem proprio ac permanentèr sibi inhaerente, sed quia Dei providentia, ipso facto, eum tùnc ab omni politica subjectione liberum relinquere voluisset, aut tribunalia, ab iisdem legibus stabilita, de ea re judicarent: sicùt et de aliis rebus à legibus praetermissis judicant; ità tamen ut nullum proprium jus ad hujusmodi electionem faciendam in populo recognoscant; nisi ei fuerit à sublimiori potestate concessum. Atque hanc quidem facultatem populo Israel fuisse à Deo concessam, in praefato Deuteronomii loco apparet: ubi nihilominùs communiorem imperii successionem per viam generationis, in lege naturali fundatam, Deus ipse veluti confirmat per illa verba, quibus conditiones indulgentiae finit: *Ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus super Israel.*

XXXIV. Sive ergo consideretur suprema civilis potestas ut officium et onus, sive ut jus et summa societatis praerogativa, à priori possessore in posterium, legum humanarum rectaeque rationis sententia ac judicio, transmitti debet: sicùt et jus aut proprietas aliarum rerum

transfertur; quamquàm multò quidem divinior illa sit: utpotè quae non suprà res, sed suprà personarum ac integrarum etiàm gentium actiones, veluti publicum magisterium, versatur. Primus hujus potestatis possessor, primusque etiàm harum legum auctor, rectaeque itèm rationis minister et organum fuit Adam. Et si quidem tàm omnes imperantes, ejus successores, quam horum subditi legis naturalis rectaeque rationis documenta perfectè servassent, nec forma primitivi imperii, quae purè monarchica fuit, unquàm in mundo immutata fuisset, nec tirannides extitissent, nec rebelliones, nec clades aliaeque calamitates, quae exindè proveniunt; sed pax foelicitasque perpetua totum occupasset orbem. Similis tùnc fuisset humana societas ei, quam docet D. Thomas, extituram fuisse, si naturam hominis originale peccatum non depravasset: in qua et Principes, non nisi commune bonum prae oculis habentes et officio consulendi, imperassent, et subditi ejus aequo ac libenti animo in omnibus paruissent. *Hoc enim*, ut ex S. Augustino angelicus Doctor addit, *naturalis ordo praescribit: ità Deus hominem condidit.*

XXXV. At quum hominum hodierna societas, ignorantiae et malitiae tenebris involuta, ab hac perfectione toto coelo distet; ¿quodnam huic generali malo provissum est à Deo generale

remedium? — Istud et utiquè indubium ac praesentaneum. Imperantibus, auctoritate sua abutentibus nec custodientibus leges justitiae, supplicium Deus ipse sibi imponendum reservat, dicens: Sap. VI. *Audite ergo Reges et intelligite; quoniam judicium durissimum iis, qui praesunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potentèr tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequalitèr cura est illi de omnibus; fortioribus autem fortior instat crutiatio.* Subditis autem suam conditionem obediendi legesque societatis servandi, non adimplentibus, poenam Principibus infligendam committit, ajens: Ap. Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quae autem sunt à Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Non enim sine causa* (Princeps) *gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.*

XXXVI. Quod si quis dicat de potestatibus legitimis loqui hic Apostolum, et non nisi veras, hoc est, justas ferentibus leges, respondendum ei erit, verum id esse quantum ad primum

caput : videlicèt, intelligenda esse Apostoli verba de potestatibus legitimis dumtaxat : quarum ab illegitimis non est admodùm difficilis aut obscura discretio ; omninò verò falsum quantùm ad secundum, quod ad leges spectat. Nàm si penès populum esset de legibus judicium ferre, ipse tantum populus foret demùm unicus legislator ; nec ulla legitimi imperii forma esset nisi democratica : cui opposita est prorsùs tota haec nostra sententia, sacrae Scripturae et rectae rationi evidentèr innixa. Possunt utiquè imperantes, ut homines, leges injustas aliquandò ferre ; possunt legem status fundamentalem, seu, ut vocant, *Constitutionem*, ordinationibus editis pro arbitrio et, si placet, sine causa infringere ; at gladius, quo omnia haec et alia quaecumque in societatem delicta punienda forent, non nisi in manibus eorumdem principum Deus posuit : ut, quae ordine sapientissimo ipse constituit, ordinata subsistant ; neque omnium in omnes homines horrificum potiùs ac perpetuum bellum inducatur. Hujus rei confirmationem ex ipso praeindicato in objectione Samuelis loco desumere possumus. Quum enim ab eo petiissent regem majores natu Israel, ut eos ab hoc postulationis proposito averteret, praedixit eis, ex mandato Domini, jus regis, qui regnaturus erat super eos. Neque ad illud solum istud jus

extendit, ut denuntiaret, aliquantulùm individuali eorum libertati regem detracturum, aut alicui politicae institutioni modum impositurum; sed talè potiùs fuisse futurum: *Hoc erit jus Regis* (dixit), *qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, et ponet in curribus suis.... filias quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias et panificas. Agros quoque vestros et vineas et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Greges quoque vestros addecimabit; vosque eritis ei servi* (1. Reg. cap. VII, v. 11).

XXXVII. ¿Quid verò? ¿Vocarini verè à Deo potuit jus, quod injustum semper fuisset et prorsùs tirannicum? Et ità sanè. Non quidem ex parte Regis, qui non nisi injustè atque tirannicè tàm gravi injuria subditos suos affecisset; sed ex parte eorumdem subditorum: qui, tametsi adeò soeva dominatione oppressi, nullum tamen jus expeditum habuissent, neque habent unquàm, legitimo suo imperanti resistendi: *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ut indè etiàm constet, quantam malignitatis includat illa sententia, qua quidam hodierni politicae scientiae scriptores populis jus concedunt, et quidem *exigibile*, ut illi vocant, ad hoc ut justae sint leges, quibus à suis principibus gubernentur. Quum enim ipsi populi hujus justitiae

fiant judices, et non alia eisdem adsit publica vis aut via, qua praedictum jus tueantur, quam tumultuosa resistentia et rebellio, absolvuntur à crimine illa doctrina quorumcumque statuum commotionum auctores ac perturbatores. Radix ergo omnium hujusmòdi errorum est falsa, aut saltèm ambigua, quae nimis communitèr efformatur à multis, societatis idea, eam cum Jacquierio, quem illustrare aut emendare hac in re suscepimus, definientes: *Hominum coetus ad promovendum bonum commune*. Quasi homines, disjuncti priùs ac segregati, ob quaedam mala vitanda et opposita assequenda bona, conjungi et in societatem coalescere ipsi decreverint. Nàm juxta sistema politicum, hac conclusione comprehensum, quod praeferendum putamus, definiri potiùs debet humana societas: *Hominum coetus, à Deo institutus, ad ipsorum hominum foelicitatem suique nominis gloriam promovendam.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis eamdem cum hominibus habet antiquitatem, estque à Deo immediatè institutum; licet quantum ad leges positivas et particulares, ex quibus coalescit, ex summorum imperantium ratione et arbitrio pendeat.

XXXVIII. Prob. prima pars. 1° Status publicae societatis est homini naturalis, in eoque fuerunt jàm à Deo primi homines constituti; atqui ad hujus status conservationem et perfectionem necessarium est jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis, ergo. Major constat ex conclusione anteriori. Minor autem probatur. Societatis publicae status subsistere nequit sine proprio ac essentiali vinculo ac nexu; atqui proprium ac essentiale vinculum societatis publicae est jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis, ergo. Si major negetur, probari potest hoc modo: nulla res subsistere potest in mundo nec politico nec morali, nisi sit una, juxta illud

scholasticorum vulgatum axioma, et metaphisicè quidem demonstrabile, quod ait: *Omne ens ità est unum, verum, et bonum, ut mutuo haec convertantur*: non ergo dari potest societas publica, nisi illi multi, ex quibus coalescit, et phisicè non sunt nisi multi, aliquo morali vinculo conjungantur et fiant unum. Quod autem proprium ac essentiale vinculum publicae societatis, sit jus politicum, non minùs evidens est. Nisi enim adsit in summo imperante auctoritas dirigendi societatem eique leges ferendi, et in subditis obligatio eisdem legibus se subjiciendi, non potest ordinata illa subsistere neque conservari. Plurima enim sunt crimina, quae ad ejus dissolutionem inducunt: eaque leges positivae, aut publica ejusdem, cujus hoc est praecipuum munus, tutelaris potestas cohibere debent.

XXXIX. 2º Genus humanum à sui exordio rationem immediatè à Deo accepit: nec enim ea esse potest inventum humanum; atqui ubi est ratio in hominibus, est etiàm jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis, ergo. Major est omninò certa ex generali omnium sententia; quamquàm à quibusdam pseudophilosophis, qui hipotheses arbitrarias et nullo fundamento innixas sibi effinguunt, in dubium fortè vocabitur.

Ratio enim non solvitur nisi sermonis aut eloquii ministerio: quod à primo homine usque ad nos adeò necessaria succesione transmittitur, ut, sive in parvulis, sive in adultis non nisi per istud tantum illa expedita reddatur. Laudandus sanè ea de re Vice-Comes de Bonald, qui, illorum rejectis cavillationibus, rem hanc quasi ad demonstrationem perduxit (Vid. cap. 11, tom. 1º sui operis, cui titulus: *Recherches philosophiques sur les premiers objects des connaissances morales.*) Minor probatur. Ubi est ratio, est recta ratio: ipsa enim ratio viam designat et lumen praebet, quo aequum ab iniquo, rectum à pravo, discernatur; atqui quod primum recta ratio patefacit, est jus politicum, sine quo nullus apud homines ordo invenitur, ergo ubi est ratio in hominibus est etiàm jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis. Prob. min. Quod primum recta ratio patefacit, sunt legis naturalis primaria principia: ut, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; bonum faciendum; veritatem amandam; Deum colendum; parentes honorandos, et alia similia; atqui haec officia, in praxi et ut oportet, impleri non possunt sine politico jure; quae enim alii aliis officia homines praestant, et jure ab invicem exigere possunt, ità justitiae naturalis regulis subjiciuntur,

ut eorum causae non nisi tertio judice plerumquè finiri valeant, ergo. Adeò autem necessario consequitur publicam societatem jus politicum quantum ad supremae auctoritatis existentiam et ejusdem societatis ordinem, ut non sit cùr ampliùs in hujus rei confirmatione immoremur.

XL. Prob. ergo 2ª pars. Videlicèt, quod jus politicum quantum ad leges positivas et particulares ex quibus coalescit ex summorum imperantium ratione et arbitrio pendet. Potestas legislativa est praecipua facultas aut munus summorum imperantium, ergo. Prob. ant. Societati imperare nihil est aliud, nisi ordinare eos, quibus imperatur, ad bonum commune, intimando illis ea quae ad hunc finem opportet eos facere vel omittere; atqui facultas has ordinationes faciendi est ipsa potestas legislativa, ergo. Major est explicatio imperii supremi sive independentis. Minor definitio potestatis legislativae, qua hujusmodi imperium pollet.

XLI. Quoniam verò non de imperantium aut supremi imperii sive majestatis juribus hodiè ubiquè agitatur quaestio, sed de personis ad quas hujusmodi spectant jura: hoc est, an soli principes juxta legis naturalis praescriptum jus habeant in suis statibus leges condendi, àn etiàm populi in hujusmodi facultatis partes

vocandi sint, priùs illud, quod nobis rationabile omninò videtur, hoc modo probatur. Leges condere, nihil aliud est, quam eos, qui legibus subjiciuntur, ad bonum ipsorum et commune dirigere, seu bonum societatis commune curare. Unitas autem adeò ad rationem bonitatis pertinet, ut id ad quod intentio multitudinem gubernantis tendit, et tendere debet, sit unitas, concordia et pax; quae nata aliundè sunt ab uno meliùs quam à multis produci. Sicùt enim calor ab igne, et frigiditas à frigore, sic unitas causatur ab uno; undè multi multa unire et concordare non possunt, nisi aliquo modo inter se uniantur et fiant unum, actionem temperando passioni, aut aliquo alio modo. Illud quoque, quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius quam multi uniti: qui non sunt unum nisi per accidens; undè multitudo melius gubernatur per unum quam per multos. Relinquitur ergo, quod jus politicum, quantum ad leges positivas et particulares ex quibus coalescit, ex uniuscujusque principis ratione et arbitrio pendeat. *Et hoc est*, concludit D. Thomas, 1ª part., quaest. 103, art. 3, *quod philosophus dicit*: *XII Metaph.*: *Entia nollunt disponi malè, nec bonum pluralitas principatuum: unus ergo princeps.*

XLII. At exurgit hic alia quaestio, nùm

inter has leges, quas positivas et particulares vocamus, et ex solius principis ratione et arbitrio pendere volumus, comprehendi etiàm debeat lex status fundamentalis, quae ejusdem regiminis formam designat, et *Constitutio* seu politicum uniuscujusque reipublicae sistema appellatur. Et utiquè hanc etiam legem fundamentalem seu *Constitutionem* inter positivas et particulares praefatas comprehendendam censemus; quamquam majorem de hac re haec nostra sententia explicationem requirat. Illudque in primis ad eam expediendam statuendum est, leges humanas, quantumcumque primariae illae ac fundamentales sint, verè et propriè leges non esse, nisi legi naturali ac rectae rationi conveniant. Atque ab hac convenientia et consensione suam desumunt vim; si tamen practereà à legitima potestate proveniant, sive monarchica ea sit, sive aristocratica, sive democratica. Possunt enim et hae etiàm regiminis politici formae esse legitimae, legitimaque propthereà in iis suprema civilis potestas existere, dummodò juxtà legis naturalis rectaeque rationis praescriptum sint institutae. Hoc est, si à potestatis monarchicae anterioris ratione, quae legis humanae, jàm tùnc vigentis, qualitate gaudebat, sumpsit exordium. Nàm quum nihil aliud sit lex civilis, quam recta ratio publicae societatis, haecque

BIBLIOTECA ... SE

eamdem cum hominibus habere debuerit antiquitatem, nulla politica potestas aut institutio potuit esse unquàm legitima, nisi anteriori potestati aut regimini, quod non potuit non esse monarchicum, fuerit consentanea.

XLIII. Hac ratione reipublicae romanae legitimitatem non tàm à senatusconsulto desumendam putamus, quam à Servii Tullii auctoritate, qui ejus formam ante mortem descriptam reliquit (Vid. Dionis. Halic. lib. 4, et Liv. lib. 1°, cap. 46 et 48). Ità ut non principes, qui per Deum imperant, à populis quibus imperant, suam unquàm auctoritatem accipiant; sed è converso, populi, si quam potestatem alicubi et sub aliqua regiminis forma quandòque habuerunt, eam non nisi ab anterioribus suis principibus accepisse, sint credendi. Ut enim ordo in societate consistat, hanc generalem ejus legem ponere oportet (ut ponit optimè P. Ventura in suis Comment. cap. X, §. XLIX, pag. 336). *nullibi subjectum sibimetipsi constituere potestatem aut sibimetipsi imperare*; sed distinctas personas haec duo, in statu naturae lapsae inter se pugnantia, necessario exigere. Atque, hac doctrina praedicto actuali statui accommodata, salva semper manet ratio poenae in subjectione hominis alteri homini, quam Deus toti generi humano proptèr primum

peccatum injunxit, dùm ei, in persona Evae, communis omnium matris, indixit: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

XLIV. Prae oculis est etiàm habendum, leges omnes humanas esse mutabiles: ut quae sub quibusdam circunstantiis temporum aut personarum utiles et bono communi salutares fuerunt, sub aliis circunstantiis evadant fortè exitiales et noxiae. Potuit abs dubio quondam, et in aliqua gente, esse utile paci et bono ipsius, principes ei nonnullam partem concessisse in legum editione: quod nostris temporibus per institutionem senatuum ac comitiorum, quae *camaras*, *cortes*, *dietas* aut *parlamentos* vocari solent, fieri consuevit. Enim verò si exindè populi existiment, aliquam supremae potestatis radicem aut partem jure ad ipsos pertinere, dissolvendas has omnes institutiones putarem. Non modò quia, in hoc sensu acceptae, eorumdem summorum imperantium publicam actionem remorantur saepèque impediunt; sed quia in discordiae etiàm discrimen rempublicam plerumquè ducunt, et in eo saltem errore retinent, quod multi existiment, populare sive multorum regimen sibi utilius esse; quum, utpotè merè humanum, et à Dei, quod in universum mundum exercet, regimine alienum, non possit non esse imperfectum, et communi societatis bono aerumnosum.

XLV. At dicet fortassè aliquis: emendentur benè quidem reipublicae *Constitutiones*; sed fiat earum emendatio aut correctio per eos qui eas formaverunt, aut quibus potestas legislativa specialitèr est commissa. Sunt enim praedictae constitutiones veluti pacta publica inter nationes et principes inita; nec iis nisi sub conditionibus, in illis contentis, traditum est imperium. Respondetur autem hanc objectionem in eamdem quam impugnamus, à pactis dessumptam, societatis originem iterùm incidere; nec quidquam unquàm nostris conatibus efficiemus, nisi verae ac salutaris doctrinae studio, per eos ad quos spectat promoto, praedicta perturbatrix opinio aut error ab hominum mentibus evellatur. Pacta civilia, quae in rerumpublicarum *Constitutionibus* apponuntur, verè et propriè talia esse non possunt, quod principes semper obstringant. Supremi namque ac independentis imperii, sive, ut vocat Apostolus, sublimioris potestatis jus summum non esset, si aliud jus humanum, à quo dependeret, in eadem societate existeret. Sed neque ab omnibus rempublicam constituentibus, quorum ratio et voluntas per alios repraesentari nequit, effecta sunt; sed à quibusdam plerùmque potentioribus, qui, licet populi partes agere videantur, sua tamen màgis quam ejusdem populi negotia curant:

cujus barbariem extremamque perniciem, per ignorantiam morumque corruptionem invectam, consentiunt. Non constant insupèr saepè illa pacta de rebus, de quibus cum populis pacisci principes possunt: qui quod iis melius convenire judicant, praecipere semper aut prohibere tenentur. Non enim est lex, quod ipsi ad libitum et sine causa volunt; sed quod cum ratione, legi Dei naturali consentanea, in ordine ad commune bonum volunt et jubent. Atque ut id praestent, ponit D. Thomas in principibus prudentiam regnativam, eamque denominari ait (2.ª 2.ªe, quaest. 50, art. 1º), *à principali actu regis, qui est leges ponere: quod etsi conveniat aliis, non convenit eis, nisi secundum quod participant aliquid de regimine regis*. Huic ergo prudentiae relinquendam putamus, si quam politicae alicujus *Constitutionis* emendationem recta ratio et ejusdem status bonum publicum aliquando exigat: qua et pax, quod praecipuum est reipublicae bonum, conservabitur, et omnes, aut fere omnes, praedictam emendationis necessitatem fortassè cognoscent, eamque propterea amabunt.

XLVI. Aut igitur pacta seu conditiones, quarum observantiam in sui imperii assumptione nonnulli principes cum juramento promittunt, ad Dei cultum, pacis publicaeque justitiae

bonum spectant, sine quibus vera societatis foelicitas non consistit, aut ad media sive ordinationes politicas particulares, quibus praefata communia bona comparantur. Illa et populis et ipsis etiàm principibus sunt utilia, et adimplenda; quamquàm populi nec de iis ullum in suos principes ferre unquàm judicium possint. Ista non modo sunt inutilia et infructuosa, sed noxia ut plurimum rectaeque ac facili regiminis administrationi contraria. Universa, quae latè patet, statuum aut regnorum Europae hodierna perturbatio hujus rei perspicua probatio est. Ab eorum enim *Constitutionibus*, in quibus pseudopolitici ex divina monarchica cum populari humana regiminis forma monstrosam commixtionem sibi effinxerunt, nata est. Et ¿quenam, quaeso, horum omnium errorum et malorum prima scaturigo et radix?=Dei, ut dixi, ignoratio, ejusque circà societatem humanam ordinationis. Nascuntur haec mala ex prava doctrina: ex rebellione rationis privatae et particularis, quae subjecta esse debet, in publicam seu societatis, ob cujus conservationem et ordinem est haec à Deo instituta et provissa. Nascuntur haec mala ex philosophiae ac sapientiae penuria, in tanta, quanta proclamatur, litterarum luce. Aliam et altiorem adhùc hujus ejusdem mali radicem indicarem, si eos, quibus has inopes

elucubrationes submitto, ad meam omnem doctrinam amplexandam sufficientèr dispositos existimarem.

XLVII. Objic. 1º Aristoteles, philosophorum facile princeps, distinctionem civilemque ordinem inventum aegyptiorum fuisse, affirmat. Haec sunt verba, quum de aegyptiis antiquissimis sermonem instituit (Polit. VII, 10, apud Perizonium, *Orig. Ægypt.* tom. 1, cap. 1, pag. 4, ed. Traject. ad Rhen. an. 1736,): *ούτοι γαρ αρχαιοτατοι μέν δοκοῦσιν ἐιναι, νομον δὲ τετυχηκασι καὶ ταξεως πολιτικης. Διό δει τοῖς μέν ευρημένοις ἱκανῶς χρησθαι, τα δε παραλελειμμένα πειρασθαι ζητειν* : Hoc est, juxtà Joach. Perionii et Lambini lectiones: *Ægyptii enim antiquissimi omnium fuisse videntur, legesque civilemque ordinem instituisse. Undè oportet, jàm inventis libere et multum uti; praetermissa verò tentare quaerere.* Non ergo eamdem cum hominibus habet antiquitatem, neque à Deo est immediatè institutum jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis. Resp. distinguo ant. Ægyptii leges civilemque ordinem instituerunt determinatè seu in particulari, in iis, videlicèt, quae ordini societatis sunt adventitia, neque ad ejusdem existentiam omninò necessaria; concedo: civilem societatis

communem ordinem instituerunt absolutè, ità ut ante ipsos, aut nulla usquàm publica humana societas, aut omninò inordinata ipsa ab exordio extiterit; nego. Aliquis quidem ordo civili societati est necessarius, ex auctoritate leges ferendi in summis imperantibus, et obligatione subditorum iisdem legibus se subjiciendi, procedens. At hic ordo, generàtim sumptus, et naturae humanae societatis prorsùs essentialis, variis ordinibus seu politicis institutis potest in particulari servari: quae pro varietate temporum, locorum aut personarum, ad humanam quidem spectant adinventionem. Atque hujus quidem generis quemdam specialem civilem ordinem aegyptios primos omnium instituisse, non inficiamur; non verò communem illum, quem humanae societati necessario coevum fuisse, ipsa recta ratio perspicuè demonstrat. Quod si quis et de hoc etiàm ordine, generàtim sumpto, Aristotelem loquutum fuisse contendat, ab hujus sententia discedere non gravamur: qui eam sive ab Herodoto, sive ab aliquo alio sublestae fidei historiographo accipere potuit: tùnc vel maximè, quandò, quum divinitatem hominibus tribuere eorumdem hominum insania non verebatur, mirùm non erat, quod divinae Providentiae dispositiones circà eorumdem publicas societates iisdem etiàm adjudicarent.

XLVIII. De harum societatum, rerumpublicarum, statuum, nationum aut regnorum origine, sicùti et de aliis primordialibus rebus multis duplicitèr loqui possumus: videlicèt, aut proùt ea in sacris litteris quodam modo continetur, aut proùt ex historia prophana et naturali ratione deduci potest. Utraque hac via operae praetium est, eam hic brevitèr investigare. Et quantum quidem ad id quod de civilium statuum origine et distinctione sacrae litterae nobis indicant, palàm est, Deo ipso immediatè per mirabile confusionis linguarum signum, paulò post diluvium patratum, et in novem prioribus versibus seu articulis Capitis undecimi libri Geneseos contentum, tribuendam esse. Ad cujus rei clariorem intelligentiam, notandum in primis est ac praesupponendum, ea quae Capite decimo refert Moises de dispersione generationum trium filiorum Noë, quoniam de his immediatè ante mentionem fecerat, per prolepsim sive anticipationem ab ipso narrari, et praedicto confusionis linguarum Capitis sequentis signo posteriora esse. Non enim videtur verè dici potuisse, *fuisse terram labii unius ac sermonum eorumdem*, quemadmodùm in Capite undecimo legitur, postquàm divissae fuerant gentes, *unusquisque secundum linguam suam in nationibus suis*, ut Capite decimo et anteriori praemittitur. 2º Pro

certo etiàm statuendum videtur unam eamdemque fuisse terrae divisionem, quae capite X, v. 25, commemoratur, ubi de Phalego dicitur, quod *in diebus ejus divisa sit terra*, ac dispersionem Noachidarum de campo Senaar in varios terrae tractus, de qua v. 9, capitis sequentis legitur: *Et indè dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum*. Praeterquàm quod enim nullam veri speciem praefert, illos homines, postquàm dispersi jàm fuerant, iterùm et in eumdem locum se collegisse, nihil de hisce rebus scire possumus nisi ex sacra Scriptura; quae tamen nullum exhibet vel minimum vestigium istius duplicis secessionis. Sed cum *priori* Capite tantum exponatur, in quas gentes et terras Noachidae secundum suas familias et linguas fuerint separati, *posteriori* ipsa occasio, causa et historia ejusdem secessionis traditur.

XLIX. 3º Quumque causa tantum proxima confussionis linguarum, et subsecutae indè dispersionis, ibi exponatur: superba, scilicèt, aedificatio civitatis et turris à filiis Adam suscepta, non autem animus, propositum aut consilium, quo isti primi humani generis propagatores tantum opus fuerint agressi, et hoc etiàm ex ipso sacrae Scripturae contextu deducere possumus. Dixerat enim Dominus Noë et filiis ejus: *Crescite, et multiplicamini, et*

ingredimini super terram, et implete eam (cap. IX, v. 7,): ad quod praedicta dispersio erat necessaria; proniùmque est credere, Noachum ipsum eam illis ex Dei voluntate sua auctoritate denuntiasse: non tàm quia Josephus id dissertè affirmat, I, 5, et S. Philastrius Brixiensis Episcopus adeò id confidentèr tradidit, ut in haereticorum ordinem retulerit eos, qui contrà sentiunt, sic scribens: *Sunt quidam haeretici, qui de divisione orbis terrae et partitione habitationis rectè non sentiunt, disputantes, quod graeci coeperint, aut aegyptii, aut persae describere orbem terrae universum; non Beatus Noë suis filiis tribus post diluvium diviserit, dederit ac definierit et partierit ordine....* (Est absque ulla nota in Bibliotheca Patrum, ed. Lugdun., an. 1677, tom. V, pag. 717) quam quia ex natura rei et perpetua Dei consuetudine id quasi necessario sequitur. Illi verò quum, et solitudinem horrerent, et societatem primigeniam, in qua nati fuerant, nimis amarent, nec Deo, nec Noacho, principi et voluntatis divinae apud ipsos procùldubio interpreti, auscultaverunt; sed rebelli potiùs contrà Noachum Nimrodo, cujus nomen non aliud significat quam: *rebellemus*, *rebellemus*; atque ità penè omnes, licet non omnes pari animo rebellandi, civitatem excitarunt et turrim:

quo et diùtius manerent conjuncti, et dispersionem, quam metuebant, ad longiùs saltem tempus procrastinarent. Undè verba illa, quibus in praefatam aedificationem consenserunt, dicentes: *Venite faciamus nobis civitatem et turrim.... antequàm dividamur in universas terras*, pro eo accipienda sunt, ac si dixissent: *potiùs quam dividamur*; quemadmodùm et textus hebraicus expressè habet, פֶּן נָפוּץ עַל פְּנֵי כָל הָאָרֶץ: *ne fortè dividamur in universas terras*. Si enim dispergi illi ac separari decrevissent, nec aedificassent probabiliter civitatem, in qua non credebant habitaturos, nec oportunum Deus duxisset labii confusionem in eos immittere, ut eosdem, quasi volentes aut nolentes, ad praefatam dispersionem adigeret.

L. 4º Neque consideranda est haec dispersio quasi societatis primitivae ac praeexistentis, cui Deus benedixerat, dissolutio aut eversio; sed divisio tantum atque partitio unius illius in multas et varias, ad generis humani multiplicationem sapientissimo consilio à Deo provisa; ità ut unaquaeque earum primigeniae illius, à qua descenderat, naturam et ordinem perpetuo et integrè apud se retineret: sub propio, scilicèt, duce aliquo aut praeside constituta, cui caeteri obedire deberent. Idcircò diversitatem linguarum non in individuos Deus induxit, sed

in familias et cognationes, in quibus semper caput aliquod aut pater gubernator adest: *Unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis.... in cognationibus, et linguis et generationibus, terrisque et gentibus suis.... secundum cognationes et regiones in gentibus suis.* 5.º Sub hac igitur forma, et ex positiva Noachi dispositione, primitivis illis rebuspublicis aut politicis societatibus distinctis ac stabilitis, non alia data est eis lex, ad sui conservationem et bonum publicum promovendum, quam naturalis: à Deo primi hominis menti impressa, et per eloquii facultatem eidem ab ipso etiàm Deo supernaturalitèr concessam, ad omnes posteros deinceps communicanda. Quumque hujus legis notissimum sit documentum, non patrem à filiis, sed filios potiùs à patre gubernari oportere, eique debere obedire et subjici, consequens est, post statuum aut societatum divisionem filios aut nepotes Noachi earum principes fuisse constitutos: *unusquisque secundum linguam suam et familias suas, in nationibus suis*; quemadmodùm et ante praedictam divisionem totius humani generis societati praepositus, princeps et rector extiterat ipse Noachus: cui Nimrodus nonnisi per rebellionem in terrra Senaar successit. A Deo ergo ipso repetenda est civilium societatum origo, et sub forma quidem

monarchica: quum popularis aut democratica nullum in sacris litteris fundamentum habeat.

LI. Utrùm autem haec familiarum dispersio, atque adeò civilium statuum distinctio, ad Phalegi natales sit referenda, aut ad ultimos ipsius dies, nihil ad nos, qui illius tantum auctorem inquirimus, et Deum ipsum fuisse probavimus; non homines, quasi isti fuerint, qui, ut quidam ajunt, propriam suam naturam status politici adinventione perfecerint. Probabilior nobis prior illa pars videretur, nisi Sap. cap. X, v. 5, scriptum esset: *Haec* (Sapientia) *et in consensu nequitiae, quum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo &c.* Abrahamum pro indubio designans, Nimrodi rebellionem ad ultima Phalegi tempora rejiciendo. Quamquàm hic nequitiae consensus, et ante Abrahamum collatus ibidèm innuitur, et de consensu in idololatriam, quae rebellioni successit, potest etiàm congruentèr accipi.

LII. Disquiramus modo, nùm, ratione naturali humanaque historia spectata, ejusdem politici status origo sit etiàm divina adserenda. Licet enim fateantur omnes, domesticam societatem sive familiam à Deo esse institutam, et homini naturalem, id tamen pleriquè de societate publica seu civili constantèr negant, ajentes:

homines ex statu primitivo aequalitatis et libertatis ad statum civilem, quem *adventitium* propterea vocant, ingenio propio, et inita inter se conventione processisse. Verùm hic conventionalis processus vel ex eo solum fictitius apparet, quod nullum, neque in naturali ratione neque in antiqua historia, fundamentum habeat. Sive enim mente percurratur tempus, quod *obscurum* ab eruditis vocatur, et cujus notitia ex aliquibus traditionibus, sola, eaque lubrica fallacique, hominum memoria subnixis, desumitur; sive quod *fabulosum* ab eisdem dicitur, eo quod à cantilenis, quibus praecipua heroum suorum aut totius etiàm gentis facinora celebrabant antiquissimi populi, initium duxit: ut indè originem dèin inter graecos traxerit, non vera et certa historia, sed illa quae poeticis est involuta fabellis, quales fuerunt, teste Josepho, lib. 1º contra Apion., ipsa *Homeri carmina non litteris olim, sed memoriae cantorum mandata*; sive quod propriè *historicum* communitèr appellatur, et initium ducit in Oriente à Ninives destructione; in Graecia ab Olimpiadibus constitutis, et ad usum chronologicum accommodatis; in Italia verò ab urbe Roma condita, aut ab eadem à gallis capta, ut contendunt Plutarcus et Livius, ille, in Numa. hic in VI, I, Hist., nullibi apparet rationis vestigium

praedicti status aequalitatis et libertatis: nullibi commemoratur gens aliqua aut populus sine duce aut rege, cui subderetur. Et quantum quidem ad id quod ratio naturalis indicat, *nihil tàm aptum est* (aiebat Cicero de Legibus, lib. 3, n. 1,) *ad jus conditionemque naturae, quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.... Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt....* Ipsa verò prophana historia aegyptiorum et chaldeorum, qui omnium hominum antiquissimi existimantur, proùt ex Sincello à Manethone et Beroso, per annos 36.525, fabulosè extenditur, adeò religiosè et honorificè de superioris humanae societatis summis imperantibus in sua illa immensa et absona antiquitate loquuta est, ut eos in *deos*; *semideos*, aut heroas; et homines *reges* diviserit. *Deos* majores suos antediluvianos appellavit: principes, scilicèt, ab Aloro seu Adamo usque ad Xisutrum, per quem Noachum intelligunt; *semideos* seu heroas, postdiluvianos, quorum primus fuit ipse Xisutrus seu Noachus: homines verò *reges* eos, qui posteà regnarunt, eorumque princeps fuit Evechous: de quo cum Africano et Eusebio ait Sincell. p. 78: *παρ ημιν* Νεϐρωδ, vel Νεμϐρωδ *apud nos* (christianos)

iste Evechous Nemrod dicitur. ¿Ubinàm ergo fuerunt homines aequales et liberi, quorum neque ratio neque historia, sive vera, sive fabulosa, meminit?

LIII. Prodiit dudùm in Hispania, anno, scilicèt, 1822, perturbatrice ejusdem politica *Constitutione* vigente, chronographica quaedam omnium statuum seu regnorum mundi descriptio, cui titulus: *Mapa de la historia universal desde la antigüedad mas remota hasta el año 1821, arreglado á la Carta geográfica de Federico Straás. profesor de Historia en Berlin. Lo dedica al colegio nacional de artillería J. Herrera Dávila.* = *Madrid. librería de Orea, calle de la Montera, año de* 1821: in qua et parvula cruce signantur *Porlier* et *Laci*, status hispanici recentium perturbatorum, obitus: quasi de humana societate fuissent ii optimè meriti; et, quod ad antiquiores quidem spectat, saeculi XVI rebelles, *comuneros* vulgo appellatos, amissam tandèm, ait, eorumdem libertatem in praelio de Villalar. At ¿quamnam illi tùnc, quaeso, amiserunt libertatem? = Nom aliam certè quam qua rebelles renuunt subliniori ac legitimae suae potestati subdi. = Et ¿à qua potestate, et quandò in praefatam amissam libertatem jure hereditario venerunt? = Nesciunt prorsùs praedictae

descriptionis seu tabulae historicae auctores. Nàm, quum omnium gentium primos summos imperantes designent, sinensium: *Yao* et *Schum*, ante dinastiam *de los Hias*; aegyptiorum, *Menem*; judaeorum, *Abrahamum*; graecorum, *Inacum*; assiriorum, *Nimrodum*; italorum, *Enotrum*; aliorumque varias dinastias incognitas aut incertas, nec horum potestatis primariam originem indicant, nec qua justa ratione ejusdem monarchica et communis regiminis forma alicubi in popularem transierit, produnt. Ex sacra Scriptura sumunt utiquè quod suo politico rebellionis sistemati non obstare arbitrantur: ut Abrahami, quasi principis judaeorum, nativitatem; Jesu Christi in mundum adventum, et alia nonnulla; at obumbrant et praetermittunt ea, quae ad rei ipsius, quam agunt, primam originem investigandam, màgis sunt necessaria: veluti, e. g., primi hominis formationem, et diluvium: à quibus omnes populi, status et regna necessario debuerunt sumere exordium. Haec, quasi revera in mundo non contigissent, aut, ea contigisse, valdè foret incertum et dubium, tenebris tecta, in praefata tabula silentio praemuntur. ¿Quid de similis generis sistematibus dici potest, nisi quod sunt gratis et sine fundamento conficta?

LIV. Objic. 2º Primi homines, antequàm

civitates juraque proprietatis existerent, nomades erant et pastores, non habentes domos aut terram propriam; sed vagabantur moventes tentoria sua ab uno in alium locum: undè et Josephus lib. I, contra Apion., probaturus illos pastores, qui Ægyptum quondam tenuerunt, fuisse israelitas, ait: *και γαρ τõις ανωτατω Προγονοις ἡμῶν το ποιμάινειν πατριον ἠν: και νομαδικον ἐχοντες τον βιον, ουτως εκαλουντο Ποιμενες. Nam et antiquissimis progenitoribus nostris pascere fuit patrium: et, agentes vitam nomadum, indè vocabantur pastores.* Quum autem haec vagandi libertas sine fixa sede ac ulla publica subjectione supremae auctoritatis existentiam nexumque societatis excludat, non est à Deo immediatè institutum, nec eamdem cum hominibus habet antiquitatem jus politicum quantum ad haec essentialia et praecipua ipsius capita. Resp. Primi homines erant nomades et pastores, omnes; nego: erant nomades et pastores aliqui primorum hominum; concedo. Verum quidem est, pastoritiam vitam ab initio mundi valdè usitatam fuisse; sed et ante eam fuit non minus exercitata agricultura: quae hominem uni alicui loco et fixae habitationi obstringit, ut in terra laboret, et sudoris sui fructum ex ea desideratum expectet. Ità et ante Abelem, pastorem ovium, Cainum legimus

fuisse agricolam, cujus vivendi rationem aut artem exercuit etiàm posteà, generis humani secundus parens, Noachus. Nec oportet tribuere omnibus, quae non nisi alicui particulari professioni aut vitae instituto sunt propria. Quod autem Josephus de suae gentis, hoc est, de judaeorum progenitoribus generàtim affirmet, fuisse pastores, non videtur adeò stricte sumendum, ut semper et ab omnibus illis aliam quamcumque vivendi professionem excludat. Immò et nec de duodecim filiis Jacob, ad quos verba in objectione proposita spectant, necessario id asserendum putamus. Nàm, si somnia plerùmque de cognitis et usitatis occurrunt, agriculturae quoque dedisse illos operam, nonnullum indicium sunt ea Josephi verba, quae, Gen. 37, v. 6, dicebat fratribus suis: *Audite somnium meum, quod vidi: putabam nos ligare manipulos in agro*: &c. Quumque et aliae etiàm artes ad agriculturam requirantur, iisque usus jàm fuerit coràm filiis suis in Arcae fabricatione Noachus, nullo modo concedendum est, omnes omninò judaeorum progenitores fuisse mere pastorès. Dixerunt quidem filii Israel, ex consilio Joseph, Pharaoni, Gen. 47, v. 3. *Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri. Ad peregrinandum in terra venimus* &c. Verùm hujusmòdi consilium dedit eis sanctus

Patriarcha, ut, segregati ab aegyptiis, qui omnes quoscumque pastores ovium detestabantur, possent pacificè in terra Gessen habitare: quod et eis facilè fuit concessum.

LV. Sed nec nomadicum aut pastoritium vitae institutum societati publicae aut potestati civili prorsùs opponitur: quum civitas aut respublica non tàm ex dominibus ac lapidibus coalescat, quam ex hominibus, communis auctoritatis ac legum vinculo colligatis; sive in fixo illi domicilio permaneant uni que terrae tractui sint addicti, sive ex una in aliam regionem, quacumque justa causa, vagentur. Dico autem, justam debere esse causam, cùr multi homines, prioris, quam profitebantur, abjecta vitae ratione, novam societatem ineant, atque ab uno in alium locum ob aliquem finem vagentur, quia, quum omnes illi jure naturali atque politico alicui publicae societati praeexistenti fuerint jàm anteà adstricti, non possunt sine justa causa ejusdem naturalem nexum, obligationesque ex eo enatas, desserere. Neque convenientèr dici posse censendum est, fuisse homines nomades, antequàm civitates juraque proprietatis existerent; eo quod ambo haec, quantum ad earumdem rerum substantiam, semper extiterint. Quamquàm enim civitatem, materialitèr acceptam, nemo ante Cainum, ab

Adamo edoctum, aedificasse sciamus, sumpta tamen civitate pro habitatione hominum societatis vinculo colligatorum, prima mundi civitas fuit ipse Paradisus: in quo summus imperans erat primus homo: eique, quasi inferior, et populi personam gerens, obediebat Eva. Jura verò proprietatis non ab alio accipere primum homo potuit, nec re ipsa accepit, quam ab omnium Creatore et Domino, qui est Deus. In communi quidem, quum, postquàm masculum et foeminam creasset eum, praeesse ipsum voluit *piscibus maris et volatibus coeli, et bestiis universaeque terrae.... deditque ei omnem herbam afferentem semen super terram.... ut esset eidem in escam*; in particulari autem, et proùt proprietas, servatis tamen aequitatis et justitiae regulis, excludit etiàm alios ab ejusdem rei possessione et usu. quum post peccatum futurum decrevit, *ut homo in sudore vultus sui vesceretur pane.* Sicùt enim sudor proprius et solius est hominis sudantis et laborantis, ità etiàm panis qui sudore acquiritur, et quo erat deinceps ei vescendum.

LVI. Objic. 3º Silvaticum saltèm sive agrestem hominum statum statui civili antecessisse, existentia multarum gentium, in tàm misero statu adhùc degentium. perspicuè demonstrat. Sicùt enim lucem praecedunt tenebrae, ità et

imperfectionem seu miseriam status silvatici primitivi praecessisse perfectioni et foelicitati hodierni civilis status, ipsa *perfectibilitas* seu tendentia naturalis hominis ad sui perfectionem ostendit. *Silvatici autem sunt populi barbari* (ità eos definit Encyclopaedia, artic. *Sauvage*), *qui, nullam stabilem et fixam stationem habentes, sine legibus, sine politia, sine Religione vivunt*: undè aequales et omninò liberos natura eos fuisse, esseque adhùc hodiè, necessario sequitur. Neque libertatis jacturam, quam in statu civili patiuntur, admissisent unquàm, nisi ob graviora mala vitanda amplioraque adquirenda bona. Tantum ergo abest, ut jus politicum quantum ad publicae auctoritatis existentiam et ordinem societatis eamdem cum hominibus habeat antiquitatem, sitque à Deo immediatè institutum, quin potiùs status primitivus publicus naturalis hominis sit silvaticus seu agrestis: sine legibus, sine politia, sine auctoritate, sine subjectione ulla.

LVII. Respondeo, multa pseudo-philosophorum praeteriti saeculi quasi effata aut axiomata in hac objectione comprehendi, quorum deceptio aut falsitas longiorem flagitaret disquisitionem. Ea tamen, in quantum argumenti ratio et locus patiuntur, summàtim et paucis sunt ordine diluenda. Atque quod in primis penitùs

negandum est, eo saltem sensu quo illi sumunt, est, ea *perfectibilitas* seu tendentia naturalis hominis ad suam adsequendam perfectionem: qua et omninò ab initio caruisse, et eam nùnc civilizationis beneficio ac progressu consequi existimant. Non enim id intelligunt de naturali appetentia beatitudinis in communi: quae aliundè non impletur tamen, nisi per Christi gratiam supernaturalem, quam illi aut nesciunt aut praetermittunt; sed de *perfectibilitate* seu perfectione quam homo propriis suis viribus comparare nititur, et naturalem propterea vocant. Neque perfectionem hanc in veris bonis, quae ad animum et mores spectant, et ratione adquirenda esset, collocant; sed in apparentibus tantum, et quae rectae rationi potiùs interdùm opponuntur: veluti in divitiis; in voluptatibus; in potentia; in industriae scientiarumque naturalium progressu; in libertate quidvis et opinandi et agendi (quam ad civilizationem pertinere putant, et irreligionis nomine melius appellarent), in aliisque demum vanae suae philosophiae illusionibus: quae omnia, quum inordinatas hominis affectiones, quas *passiones* vocamus, fovere nata sint, miserum et pravum potiùs eum redeunt quam perfectum. Homo, sibi soli relictus, ad corruptionem barbariemque tendit, non ad perfectionem: ad quam pervenire

nequit nisi per Eum ipsum qui fecit illum.

LVIII. Errant itèm in hominis assignanda origine et natura: de quibus duobus capitibus adeò aberrantia, inordinata et omni prorsùs probabili ratione destituta scripserunt, ut tedeat ea seriò refellere; ne rebus in dubiis ac perspicuis per ea, quae quibusdam nimis fortè perspicua videbuntur, demonstratis, dubitationem ac obscuritatem potiùs quam lucem afferamus. Praeterire tamen non possumus falsitatem consequutionis, quam indè eliciunt: societatem, videlicèt, humanam ab imperfecto ad perfectum processisse. Nàm quum nunquàm probaverint, fuisse eam hominis, à quo imperfectum omne procedit, institutionem; quinimò oppositum nos et ex Scriptura et ex naturali ratione demonstraverimus, corruit firmamentum, in cui eorum generalis illa praedicta sententia innititur. Tenebrae praecedunt quidem lucem, quando haec à causa particulari et deficiente producitur; non autem quando à prima et omnipotenti, cujus perfecta sunt opera, primo creatur. Hinc (ut P. Ventura, in *Comment. de Jure publico eccles.* lib. I, cap. 3, §. XIII, n. 4; quamquàm nescio, àn hoc opus ut jàm omninò publicum haberi possit, et comitis de Maistre, *Soireès de Saint Petersbourg.* tom. I, *soir.* 2, sententiam amplectamur) silvaticus

homo non est, nec esse potest, nisi progenies parentis, qui ob insigne aliquod nobis ignotum scelus, aut valdè corruptam ac depravatam vitae rationem, ab arbore seu trunco verae civilitatis fuerit cum familia avulsus; atque anathema, quo fuerit de coelo ictus, ad nepotes et posteros, tanquàm novum quoddam originale peccatum, media educatione transmissit. Corruptione verò hac in eadem progenie, ut assolet, majori sempèr prolapsionis vi ac celeritate percrebescente: haec progenies in extremum dedecus, pravitatem, miseriam, omniumque penè hominis facultatum privationem deducta, ea demùm est, quae *silvaticus* homo appellari consuevit.

LIX. Quaproptèr silvaticorum hominum linguae aliarum linguarum non initia, sed reliquiae et quasi ruinae sunt. *Plura namque idiomata* (ait Mr. de Humbolt, *Monumens des peuples indigenes de l'Amerique.* Introd.) *quae hodiè ad barbaros populos pertinent, reliquiae uberrimarum linguarum et magnam culturam indicantium esse videntur.* Necessum enim est, omnem cujuscumque familiae aut populi moralem corruptionem proportionata idiomatis corruptione manifestari. Ideae namque, in quibus hominis vita intelectualis seu ratio consistit, depravari aut deleri nequeunt, quin et voces, ideis respondentes, vel depraventur quoque,

vel penitùs deleantur. Nulla ergo alia de causa *silvaticus* homo rudem, inopem et impeditam loquclam emittit, nisi quia, omnibus penè ideis et veritatibus destitutus, rudi, inopi et impedita ratione similitèr utitur. Neque accurata est hominis *silvatici* definitio, quae nobis ex Encyclopoedia objicitur. Vix enim populi censendi sunt, qui omni prorsùs ordine, politia et legibus carent: ut et iidem scriptores, inconsequentèr, ut assolent, in eodem articulo addunt: *Hujusmòdi populorum unaquaeque tribus, aquis loca quae circumstant, occupantibus, intrà angustos terrae limites conclusa, vivit, crescit et parvam nationem efformat.* ¿Quomodò enim nationem, etiàm parvam, efformare possunt homines sine ullo ordine, sine politia ulla, sine ullis legibus: quae sunt cujusvis nationis essentiale vinculum et constitutivum? Dato namque, et non concesso, quod predicti pseudo-philosophi seu sophistae potuerint benè sibi eos effingere, mutuo ac puro amore inter se devinctos, tantaque naturali aequitate praeditos, ut maxima in suam, quantùmvis imperfectam, societatem crimina nunquàm admittant; ¿qui tamen fieri potest, ut de silvaticis id credatur, qui, inordinatissimis validissimisque omnium hominum affectionibus obnoxii, iisdem non tàm agere quam agi censentur? Suam ergo silvatici

homines habent politiam et suas leges; quamtùmvis imperfectas ac depravatas: sicuti imperfecta ac depravata est etiàm ratio qua utuntur, et qua nihilominùs multum brutibus animantibus antecellunt.

LX. Verùm quod ferri multò minùs potest, est, illa alia consequutio, qua ex particulari ac misera *silvatici* hominis conditione actuali, multi non solum conjici, sed et certo colligi posse sibi persuadent, naturalem hominis statum non esse publicae societatis, politicum seu civilem; sed omnimodae libertatis, aequalitatis ac independentiae: ità ut in eo sui juris homo sit, neque actiones unius ab alterius voluntate pendeant. Undè quum hujus libertatis, aequalitatis ac independentiae jura *impraescriptibilia*, utpotè naturalia, credantur; status verò civilis, in quo ea certis limitibus definiuntur et includuntur, ex hominum consilio, voluntate et facto proprio ortus *adventitiusque* vocetur; clarumque praetereà esse urgeant, omnia humana mutationibus esse obnoxia et ab iisdem hominibus perfectibilia, fieri nullo modo potest, quin politicas innovationes non appetant, continuoque ad fictitiam pristinam illam libertatem non aspirent. Et ecce, commotionum statuum rebellionumque, quae funditus est evertenda, aeternam radicem.

LXI. Objic. 4º Dent mihi lectores, si placet, ut in politica etiàm disputatione angelici Praeceptoris, amplioris explicationis gratia, nomen et auctoritatem assumam. Sanctus igitur Thomas huic conclusioni opponitur. Nàm quum (1.ª 2.ªᵉ, quaest. 90, art. 3), inquirat: *Utrùm ratio cujuslibet sit factiva legis*, sic respondet: *Respondeo dicendum, quod lex propriè primo et principalitèr respicit ordinem ad bonum commune. Ordinare autem aliquid in bonum commune, est, vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. Et ideò condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quae totius multitudinis curam habet; quia et in omnibus aliis ordinare in finem, est ejus, cujus est proprius ille finis.* Condere igitur leges non est summorum imperantium; sed populi aut totius multitudinis: vel principis, in quantum populi vices gerit; adeòque nec ex summorum imperantium ratione aut arbitrio pendet jus politicum quantum ad leges positivas et particulares, ex quibus coalescit.

LXII. Resp. Et D. Thomas loquitur de *facto et actuali exercitio* facultatis condendi leges; concedo: loquitur de *jure*, *origine et prima causa* hujus facultatis; nego. Sanè quum

sanctus Doctor in art. 1.º hujus quaestionis, et in primo paritèr quaestionis decimae-septimae, statuisset, imperare et edere legem esse opus rationis, praesupposito actu voluntatis, progreditur et inquirit in hoc articulo tertio, cujusnam rationis et voluntatis sit actus. Habet enim in societate quilibet homo suam propriam et particularem rationem et voluntatem. Quumque legis objectum et finis sit bonum commune, ratio autem et voluntas privata et particularis cujuslibet individui maximè tendant in bonum particulare et privatum, non potest haec ratio efficere legem; sed ratio tantum communis et publica: quae reperitur vel in tota communitate, vel in illa persona publica, ad quam spectat imperare toti communitati. Nec dicere, hanc personam publicam seu summum imperantem totius multitudinis vicem gerere, est dicere, ab hac multitudine accipere eum auctoritatem imperii seu condendi legem; sed esse eum in monarchica regiminis forma, quod tota multitudo aut populus in democratica. Sicùt quum dicimus superiorem aliquem judicem vicem gerere sui inferioris, quandò ad se avocat aliquam hujus causam, munusve, quod huic competit, per se explet. Aut quum dicimus, supremum alicujus exercitus ducem ejusdem exercitus animae vices gerere aut ipsius animam

esse, eo quod illius actionum principium est, sicùt anima hominis est principium earum actionum, quae per corpus fiunt.

LXIII. Potuisset utiquè sanctus Doctor ad quaestionem, quam sibi proposuerat, merè negativè respondere, dicendo: rationem cujuslibet individui efficere non posse legem, eo quod privata et particularis ipsa sit, lex autem debet esse publica et communis; maluit tamen positivam resolutionem etiam exprimere, ut ostenderet, communem se, juxta morem, opinionem sequi: qua credebatur et creditur, tàm monarchici regiminis formam, quam aristocratici aut democratici esse posse legitimas. Cujus tamen legitimitatis rationem et causam non voluisse hic inquirere, ex solutione ad secundum objectionem apparet. Quum enim Aristotelem sibi objiciat, dicentem, intentionem legislatoris esse inducere homines ad virtutem, palàmque aliundè esse, quemlibet hominem posse alium inducere ad virtutem legemque propterea edere, respondet, personam privatam non posse inducere efficacitèr ad virtutem, eo quod non habeat vim coactivam, quam debet habere lex, *et habet multitudo vel persona publica, ad quam pertinet poenas infligere.* Nàm, si haec ratio et doctrina valeret ad civilis potestatis legitimitatem probandam, ex vi coactiva ea desumeretur:

qua doctrina nihil est absurdius, neque ad rebelliones statuumque societatis perturbationes excitandas accommodatius. Ad majorem autem cognitionem sententiae D. Thomae de hac suprema auctoritate civili, legi potest, in praecitato opusculo: cui titulus *Orígen de los errores revolucionarios* &c., cap. X, et ult. tom. 2.

DE LEGIBUS.

LXIV. Definitur lex: *regula juxta quam actiones nostras liberas determinare tenemur*: sive cum D. Thoma 1.ª 2.ªᵉ, quaest. 90, art. 4, *rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Prima omnium legum, et à qua omnes aliae verè et propriè legis rationem et naturam desumunt, est lex aeterna, quae nihil aliud est, quam ipsa *ratio gubernationis rerum in Deo, sicùt in principe universitatis, existens.* Dicitur *aeterna*, quia est ipse Deus, qui est aeternus; quum in ipso nec ratio, nec voluntas, nec coetera attributa aut proprietates et actus realitèr distinguantur, eo quod sit simplicissimus et cujuscumque expers compositionis. Distinguitur autem per mentem, sive secundum nostrum

concipiendi modum, à Providentia duplici ratione: prima, quia lex aeterna respicit per se primo bonum commune universi; Providentia bonum particulare uniuscujusque creaturae. Secunda, quia lex aeterna ex propria ratione aut natura vim obligandi habet; Providentia verò nullam importat obligationem. Undè comparatur Providentia ad legem aeternam sicùt conclusio particularis ad principium à quo procedit: aut sicùt consequens ad antecedens. Hinc D. Thomas (quaest. 5. de Verit art. 1, ad 6): *Providentia in Deo non nominat propriè legem aeternam, sed aliquod ad legem aeternam consequens. Lex enim aeterna est consideranda in Deo, sicùt accipiuntur in nobis principia operabilium naturalitèr nota, ex quibus procedimus in consiliando et eligendo, quod est* prudentiae sive providentiae. *Undè hoc modo se habet lex intellectus nostri ad prudentiam, sicùt principium in demonstratione: et similitèr etiàm in Deo lex aeterna non est Providentia, sed Providentiae quasi principium.*

LXV. Datur igitur in Deo haec lex aeterna, quia datur in eo Providentia, quae ad legem comparatur sicùt conclusio particularis ad generale principium. Ex generalibus siquidem regulis deducit Providentia, quid in casibus

particularibus sit faciendum. In eo autem in quo ponitur conclusio, debet etiàm poni principium ex quo illa conclusio inferatur; quum ii, qui careant primis principiis sive speculabilibus sive practicis, careant etiàm eorum conclusionibus. Est etiàm lex aeterna verè et propriè lex; quum ex ejus participatione aliae omnes leges verè tales dicantur; eique tanquàm regulae et mensurae debeant accommodari. Nec opponas, deesse ei promulgationem: nàm promulgatio fit et verbo et scripto; et utroquè modo lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis: quia et Verbum divinum est aeternum, et Scriptura libri vitae est aeterna. Sed ex parte creaturae audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio aeterna. Ità D. Thomas (2.ª 2.ªᵉ, quaest. 91, art. 1, ad 2.). Ità et ab aeterno fuit etiàm in Deo imperium, quum hoc essentialitèr et à natura ei competat; quamvis nemo foret ab aeterno, cui imperaret.

LXVI. Ex hac lege aeterna emanat in hominibus lex naturalis et positiva, utraque divina: et temporalis seu participata. Lex naturalis consistit in dictamine intellectus practici, non praecissè indicantis et ostendentis bonum et malum; sed imperantis etiàm et obligantis. Undè lex naturalis, proùt est in nobis, hoc modo explicari potest aut definiri: *Dictamen rationis*

practicae, ab aeterna lege proveniens, quo dirigimur et obligamur, ad omittendum vel agendum ea, quae, solo naturae lumine, cognoscuntur tanquàm prohibita vel praecepta. Lex positiva, quae revelata propriè etiàm dicitur et supernaturalis, ea est, quae in veteri Testamento aut novo continetur; et in veterem et novam proindè dispescitur. Dixi autem legem positivam divinam revelatam propriè et supernaturalem vocari, quia, lato quodam sensu sumpta ac impropriè loquendo, lex naturalis etiàm revelata dici potest: in quantum ratio humana habilis et expedita ad cognoscendum non redditur, nisi sermonis aut verbi ministerio; quod infantili aetate à parentibus, nutrentibus seu coràm loquentibus accepimus: iisque eodem prorsùs medio à suis institutoribus receperunt, sicque usque ad primum hominem retrò ascendendo, universum genus humanum, in ipso homine primo tanquàm in primo magistro comprehensum, à Deo revelante desumpsit.

LXVII. Ex praedictis divinis legibus, naturali et positiva, exurgit lex humana, individuali ac publico hominum ordini necessaria: quae vel ecclesiastica est, vel civilis. Illa, Ecclesiae Praelati gregem Christi ad debitum Dei cultum finemque demum aeternae beatitudinis dirigunt et gubernant. Hac, principes et

supremi rerumpublicarum magistratus, quicumque illi sint, cives ad pacem et bonum commune societatis politicae assequendum in officio continent. Verùm quod in hac re, quam ad populorum tranquillitatem et foelicitatem assequendam suscepimus, màgis interest, est, nùm hae leges politicae in foro conscientiae obligent. Impossibile enim videtur, homines exteriùs legum observantiam virtutemque, quibus societatis pax securitasque consistit, colere, nisi interius etiàm credant, ad id obligari. Hujus igitur obligationis communis opinio, seu cognitio potiùs ac persuasio, ad rerumpublicarum conservationem et perfectionem est prorsùs necessaria. Hanc veritatem Judas Galilaeus, judaici status publicus perturbator, impugnavit; et sicùt in act. App. cap. 5, v. 37, legitur, *Populum post se avertit*. De eo sanctus Hyeronimus (in caput 3, epist. ad Titum). ita scribit: *Surrexit in diebus census Judas Galilaeus. qui inter caetera, hoc quasi probabile proferebat ex lege: nullum debere Dominum nisi solum Deum vocari; et eos qui ad templum decimas deferrent, Caesari tributa non reddere. Quae haeresis in tantum creverat, ut etiàm pharisaeorum et multam partem populi conturbaret; ità ut ad Dominum quoque nostrum referretur haec quaestio: ¿licet Caesari dare tributum, an non?* Huic

similem errorem docuerunt Calvinus, lib. 4, Instit. cap. 10, §. 5. Lutherus, lib. de Libert. christian. et in Comment. epist. ad Galat. cap. 4, ad eumdemque errorem nimis accessit etiàm Jo. Gerson. *De vita spirituali animae*, lect. 4. Sit ergo catholica

TERTIA CONCLUSIO.

Leges politicae cujuscumque status cives obligant in conscientia.

LXVIII. Prob. Omnis homo legi Dei aeternae tenetur subjici in conscientia, atqui hoc ipso tenetur etiàm subjici legibus politicis sui status, ergo: Prob. min. Politicus ordo cujuscumque status à lege Dei aeterna est praescriptus, atqui talis ordo ex propriis ejusdem status legibus earumque observantia pendet, ergo. Sanè aeterna Dei lex, qua statuitur et praecipitur, omnia esse ordinatissima, ordinem maximè in politicis societatibus servandum esse praescribit; quum sine eo non status aut societas, sed societatis confusio ac perturbatio seu potiùs dissolutio existeret: quod de Sapientia, Sanctitate ac Providentia supremi omnium Conditoris et Legislatoris nefas est cogitare. Hic autem ordo, cujus absolutam necessitatem naturalis ratio dispicit, sacrae litterae à Deo statutum jàm fuisse, ut diximus, diserte confirmant. Loquendo enim de summis imperantibus, seu, ut eos vocat Apostolus, de sublimioribus potestatibus, ait ipse ad romanos: *Quae autem sunt à Deo ordinatae*

sunt. A Deo, inquam, non ab ipsis hominibus inventa, quasi in remedium adversus mala in humanam societatem à perturbatrice libertate naturali invecta. Ut clarius indè innotescat Jacquierii aliorumque nimis errori proxima opinio, putantium, homines societatis civilis auctores fuisse; in qua adversus gravissima mala et incommoda societatis naturalis aequalitatis et libertatis, quaesierunt remedium. Sic enim societatis civilis aut juris politici originem probat ac necessitatem : *Adversus haec gravissima* (anarchiae, scilicèt, seu libertatis naturalis) *mala in societate civili supremaque auctoritate quaerendum erat remedium.* Quasi hujus status supremaeque ejusdem potestatis institutio, non Dei, sed ipsorum hominum fuisset consilium.

LXIX. Hujus civilis societatis divinam institutionem obligationemque adeò indè enatam supremae ejusdem potestatis ex conscientia obediendi, non solum recta ratio, sed et Scriptura variis in locis expressè docet : ut in praecitata Divi Pauli Epistola ad Roman., cap. 13, legimus : *necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiàm propter conscientiam.* Quasi dicat, non solum timore poenae, et quia gladium portat : utpotè minister Dei, vindex in iram ei qui malum agit; sed etiàm propter conscientiam, et quia id justum est et voluntati

Dei conforme. Quod Petrus quoque in prima sua Epistola monebat, inquiens: *Quia sic est voluntas Dei, ut, benè facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Eorum, nempè, qui, initio praedicationis evangelicae, christianos traducebant tanquàm politicae societatis perturbatores, et humanis legibus imperatoribusque inobedientes. Hoc, praeter jàm praecitatum Hyeronimum, testatur etiàm Chrisostomus (Homil. 23, in Epist. ad Timot.) his verbis: *Plurima tùnc temporis circumferebatur fama, traducens Apostolos veluti seditiosos, rerumque novatores; qui omnia ad evertendas leges communes et facerent et docerent.*

LXX. Ad hanc refellendam calumniam multa de obedientia principibus debita, prioribus Ecclesiae saeculis, scripserunt Patres; ut S. Policarpus; S. Justinus; Tertulianus; et alii: et quidem optimè. Nàm ipse Christus Dominus civilis potestatis divinam originem et auctoritatem fatetur, dùm Pontio Pilato respondit (Joann. 19, v. 11.): *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desupèr.*

LXXI. Objicies cum Gersonio loc. cit. Potestas principum, quantùmvis potens et suprema sit, est merè temporalis et externa; immò et nec ejusdem Ecclesiae potestas judicat de internis.

Solus autem Deus potest eripere gratiam, quum solus ipse possit eam dare: utpotè solus habens claves vitae et mortis aeternae: qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. Adeòque nulla transgressio legis naturalis aut humanae, ut naturalis est vel humana, est de facto peccatum mortale; quum lex naturalis et humana, ut tales sunt, non possint attingere ad cognitionem aeternitatis in poena vel praemio. Ex quibus hoc potest effici argumentum. Illae leges non obligant in conscientia, quarum transgressio, quamvis gravissima sit, ad peccatum mortale nequit attingere; atqui ex praedictis sic se habent leges politicae cujuscumque status, ergo.

LXXII. Resp. nego min. et ad ejus praecedentes probationes, distinguo in primis. Potestas Principum est mere temporalis et externa ratione objecti, conc. ant. Tota enim versatur circa personas, res et actiones externas et temporales: ratione obligationis quam inducit; nego ant. Quum enim à divina potestate derivetur, illius virtute obligare potest ad culpam etiàm mortalem: undè transgressor, eidem resistendo, damnationem adquirat, juxta praefatum Apostoli testimonium. Ea autem est hominis conditio, ut actus ejus interni multipliciter ad externos comparentur, eosque nati sint dirigere et promovere: ità ut vix aliquis invenietur, in quo

vitae exterioris ordo interiori sententiae opinionumque proprio sistemati non respondeat; quod non poterit quin interdùm prodat publicumque faciat: et ad pacem quidem tranquillitatemque reipublicae inducat, si bonum illud sit, ad defectionem verò et rebellionem, si pravum. Nec externus societatis ordo ullibi convenientèr conservari potest, nisi cives ex conscientia legibus optemperandum esse credant: iisque, quantum fieri potest, ex interiori etiàm sententia se accommodent. Dixi *convenientèr*, quia ordo coactus, et qui cives ad virtutem probitatemque non dirigat, non est dicendus ordo sed horror et tirannica oppressio. Undè neque civilis suprema potestas dicenda est merè publica atque externa; nec externum tantum bonum societatis ejusdemque pax, ad quam potestas illa ordinatur: agitur enim de actionibus humanis, quae legibus diriguntur, ut humanae sunt. Hoc est, proùt à principio seu potentia libera emanant et cum cognitione finis: quae ambo occulta omninò sunt atque interna.

LXXIII. Est autem duplex vis in legibus humanis consideranda: directiva et coactiva. Et quantum quidem ad vim coactivam, quae posita est in poenis, quibus in transgressores animadvertitur, non utiquè pertingit potestas humana ad actus internos judicandos, in quibus

de transgressione legum homines convinci non possunt nec puniri; pertingit verò ad eos prohibendos quantum ad earumdem legum vim directivam, quae ex divina ordinatione bonum morale societatis intendit: atque hac ratione ligant cives etiàm in conscientia leges politicae. Verum quidem est, solum Deum posse hominem gratia privare, quia solus ipse dat eam; sed hoc intelligendum est tantum per se et efficientèr. Ad hoc autem ut aliquis alterum obliget in conscientia, et sub culpa etiàm mortali, sat est, quod aliquid ei praecipiat auctoritate sibi à Deo collata: quod, si voluntariè non impleat, Deus illum gratia sua destituat: sicùt si quis legem proregis fuerit transgressus, indèque à gratia regis excideret.

LXXIV. Fallacitas etiàm in proposita objectione apparet, ubi lex naturalis non nisi pro humana lege sumitur. Nàm lex naturalis est etiàm lex divina, si ad Legislatorem ejusque rationem et auctoritatem referatur; quamvis non sit nisi humana, si ad tabulam, hoc est, si ad mentem aut cor hominis, in quo scripta est, respiciatur. Undè attingit quidem recta ratio ad immortalitatem animae et infinitam Dei dignitatem et justitiam homini proponendam; quod satis est, ut ipse per eam sufficientem aeternitatis in poena vel praemio cognitionem habeat.

Nec praedicta aequivocatio sive ambiguitas, qua in objectione lex naturalis et humana *reduplicativo*, ut ajunt scholastici, sensu sumitur, hoc est, proùt mere naturalis est et humana, parvi momenti censenda est: indè enim sumunt exordium omnes errores sociales sive morales Europae, et, ut verius dicam, totius orbis. Ex eo, scilicèt, quod fiat humanum, quod est revera divinum. Nàm quum omnia humana mutationibus et defectibus obnoxia sint, et ab hominis, eorum auctoris, voluntate pendeant; non autem divina, quae sunt aeternae veritatis et immutabilia: si societas humana et jus politicum, quod ad ejusdem societatis conservationem et ordinem necessario requiritur, humanae institutionis ponuntur, fieri non potest, quin homines ad ea corrigenda et perficienda continuo aspirent: et ecce perturbationum ac commotionum politicarum perpetua radix. Lex humana, etiàm ut humana est, vim obligandi in conscientia habet; quia suprema civilis potestas, ejusdem legis effectrix, ad bonum commune reipublicae promovendum, etiàm ut humana est, à Deo est ordinata.

LXXV. ¿Quid verò si lex humana legi naturali divinaeque adeò voluntati contradicat? Respondeo cum Ludovico Baylli, Hobbesii sententiam refellente (Tract. de vera Religione,

1ª parte, cap. 2,). *Nisi evidentèr et sine examine pateat, legem principis esse naturali adversam, qualis esset, si tirannus praeciperet, ut quis patrem vel matrem necaret, legi semper obediendum est. Insupèr, etiàm cognita legis perversitate, non turbabitur tranquillitas publica. Licet enim tali legi obtemperandum non sit, tamen rebellare nunquàm licet.* Et optimè quidem. Nàm paucis transcribit hic scriptor complectiturque hoc loco christianae doctrinae summam, tàm de obedientia Principibus, jure naturali, debita, quam de politica à civibus, ad status tranquillitatem servandam, conversatione tenenda. Ut nostrae etiàm indè sententiae confirmationem sumamus, qua in medium continuo adducimus, eumdem esse auctorem, idemque hac in re praescribere omnibus hominibus legem naturalem, ac fidelibus praescribit revelata in Evangelio per Christum. Hujus promulgationem prohibuerunt sanè, ipsius initio, Apostolis principes sacerdotum et omne judaeorum concilium, stricte eis praecipientes, ne docerent neque praedicarent in nomine Christi: qua lege nihil injustius in mundo esse unquàm potuit. Responderunt certè Apostoli, dicentes: *Obedire opportet Deo màgis quam hominibus*: nec obtemperarunt. At ¿rebellarunt tamen, nec rebellandum unquàm docuerunt?

Nequaquàm. Publicae utiquè suae potestatis decretum, expresso Dei praecepto oppositum, violarunt; at suo damno quidem. Nàm, caedi hac causa sustinentes, ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti fuerant pro nomine Jesu publicae flagellationis contumeliam pati. Super hunc obedientiae et patientiae Spiritum fundata est Ecclesia, eumdemque filiis suis perpetuo docet.

LXXVI. ¿Ubi ergo adest populis fidejussio, pignus aut testimonium, quo, in quantum fieri potest, securi sint, suos principes justas edituros leges, nec ipsos in servitutem redacturos, apertos et crudeles tirannos effectos? Nàm et huic gravissimo ac communi societatis malo, credibile non est, Sapientissimum aeque ac Sanctissimum Legislatorem ac Provissorem, Deum, praetermississe remedium. = Nec utiquè praetermissit; sed clarissimum potiùs et omnium oculis manifestissimum, in ipsa lege naturali suaeque Providentiae ordine sapientissimo posuit. ¿Quaerent verò hodierni politici reformatores aut perturbatores, quomodò id fiat? = Audiant quomodò. Atque prae oculis in primis habeant, nemini summorum imperantium concessisse Deum absolutam et à se independentem auctoritatem, nec potestatem; sed justa decernendi tantum. Nec timori boni operis

principes ab eo esse constitutos, sed operis mali: ministros ejus populis datos tantum in bonum. Hoc est, nullas eorum leges esse veras leges, nec obligare in conscientia, juxta communem omnium sententiam, nisi legis naturalis rectaeque rationis regulae sint consentaneae: quae, quum omnibus hominibus aeque patere credatur, intrà terminos valdè angustos ac definitos eorum suprema potestas manet inclussa; in iis praesèrtim, quae ad primaria ejusdem legis naturalis principia facile reduci possunt. Non quod populi, ut saepè diximus, de harum legum justitia aut injustitia judicare possint; sed quod multum principes sive improbos sive probos hoc in officio contineat: sicùt et in officio etiàm valdè contineret legatum ad aliquos et ob aliquam rem à principe missum, si nulla ei instructio aut potestas reservata daretur; sed palàm esset omnibus, ad quos judicandos pergeret, tota delegata ei facultas.

LXXVII. Sciunt namque principes, et nimis certè tristi experimento sciunt, homines, suae pravae propensioni relictos, nimis libertatem amare, subjectionem verò et obedientiam ut plurimum gravatè ferre. Quod si ità res se habet, etiàm dùm recta ratio subjectionem necessario praescribit ¿quid erit, quaeso, dùm recta ratio legis injustae verum defectum

ostendet? = ¿Quid? = Legislatoris contemptus, et, quae ei est valdè proxima, inobedientia et rebellio. Non, inquam, quod populis rebellare unquàm liceat; sed quia probabile est, in praedicta hipothesi, rebellaturos. Sicùt, quamquàm peccare nunquàm licet, ferè tamen certum est, hominem infirmum, et in proxima occasione aut vehementi tentatione positum, peccaturum. Atque haec quidem permissio peccati, quam Deus ob bona indè eventura sapientissimo consilio providet et misericorditèr vult, intrà ordinem sanè cadit Divinae Providentiae; ut summos etiàm imperantes, non solum durissimi judicii saeculi futuri timor à malo coerceat, sed et studium quoque favorabilem in praesenti saeculo Dei Providentiam habendi, ad bonum impellat. Nàm vel humana societas casu tantum nullaque Dei Providentia regitur, quae philosopho indigna prorsùs sententia est, vel qui eam, justas eidem leges ferendo, ad virtutem ducunt, Deum, essentialitèr justum ac sanctum, necessario propitium habent et adjutorem. Praeterquamquòd, licet impii principes nonnulla interdùm nobis temporali foelicitate frui videantur, certius tamen est, quod doctor eximius ajebat, jussisse Dominum, et sic esse, ut poena sua sibi sit omnis animus inordinatus.

LXXVIII. Deprehendant ergo demùm pseudopolitici suum errorem; et tàm principum quam populorum communem pacem ac foelicitatem non in humanis quibuscumque collocent institutionibus, sed in lege ipsa Dei ejusque Providentiae altissimo ordine: cui monarchicum politicum regimen apud homines, ab eorum primo, constituere placuit. Regimen, quod ab eo, quod ipse in omnes creaturas exercet, desumptum ac participatum, non nisi iis, qui subjectionis jugum, in poenam primi peccati universo generi humano impositum, excutere volunt, intolerabile ac grave videtur. Regimen, cujus, quum suprema potestas cum aliis regiminum formis, humanis adinventionibus, temperetur, destruitur ac enervatur. Regimen, quod unicè natum est respublicas ad commune bonum, hoc est, ad pacem, unitatem ac virtutem dirigere: si tamen virtutis nomine, non privatus amor, ambitus aut superbia; sed vera humanitas et amor publicus veritatis, legi Dei rectaeque rationi consentaneus, accipiatur. ¡Faxit Deus, ut, magnorum principum juncta virtute, falsa libertatis specie aliisque animi humani perturbationibus, quae non nisi in malum ducunt, eliminatis, salutaris eis doctrina, quae sola rerumpublicarum pacem foelicitatemque efficere potest, succedat!

COROLLARIA.

PRIMUM.

LXXIX. Sequitur ex praefata doctrina, generalem quamdam esse inter omnes homines societatem à Deo institutam, communique legis vinculo communitam, cujus naturam et essentiam societates omnes particulares, respublicae aut status civiles apud se retinent: sicùt et in aliis rebus omnibus retinent species quidquid ad sui generis essentiam spectat. Quod primum autem ad humanam quamcumque societatem constituendam requiritur, est, ut sit in ea ordo et nexus, qui ad commune seu publicum ipsius bonum dirigatur: hoc est, ut sit in ea qui imperet, et qui ejus imperio pareant; quibus etiàm potestas aut vis ad poenas reis infligendas consequitur. Quum enim individui seu particulares, ex propria et inordinata naturali cupiditate, ad bonum proprium tendant, posthabito aut etiàm everso plerumquè communi, dissolveretur societas, nisi haec in eam delicta impedirentur aut punirentur.

SECUNDUM.

LXXX. Sequitur etiàm, omnes homines, ad

quascumque societates particulares, respublicas seu status pertineant, et cujuscumque etiàm sint in iis conditionis aut dignitatis, societatis humanae, generàtim sumptae, subditos et membra esse: sub unico summo imperante et capite omnium, Deo; ad ejusdemque commune bonum promovendum, communi lege, hoc est, naturali, teneri. Haec autem est praecipua dissimilitudo, quae societatibus particularibus cum hac generali humana intercedit: quod in illis omnia fere sensibus objiciuntur et visibilitèr apparent: summus imperans, leges, tribunalia, judicia, poenae; quasi humanae institutionis in particulari mutationibusque idcircò obnoxiae: in hac, quae Deum habet auctorem, effectus tantummodò nostris oculis perpetuo et immutabilitèr subjiciuntur; ut per eos sempiternae virtutis primam omnium Causam agnoscamus. Suspicimus enim societatum particularium sive regnorum initia, progressus, incrementa, defectiones, fines; societatem verò hominum generalem, seu eorumdem politicum statum, invariabilem permanere, et in dies potiùs civilizatione augeri. Et quamquàm iidem homines libertatem omnimodam semper expetierint, à suisque consociis, hoc est, à propriis principibus fuerint assiduè tirannice subjugati et oppresi, nunquàm tamen ad statum illum

pristinum, quem vocant *aequalitatis* et *libertatis*, redire decreverunt. ¿Cùr autem? = Quia nimirùm talis status non est nisi rebellium figmentum; publica verò societas et subjectio multorum alicui imperanti, seu status politicus naturalis est, et à Deo ipso apud homines immediatè et invariabilitèr institutus.

TERTIUM.

LXXXI. Omnes ergo principes et status, tanquàm societatis humanae, generàtim sumptae, membra et partes, tenentur impedire et punire ea delicta, quae genericae eorumdem societatis constitutioni opponuntur; eo quod illa communia sint mala. Quumque talia sint statuum quorumcumque publicae perturbationes et rebelliones, nec alia plerumquè adsit ad ea compescenda potestas aut gladius, quam belli, omnes principes et respublicae tenentur alios summos imperantes juvare adversus sui status perturbatores et rebelles; eisque, quamquàm, ob criminis consummationem, nationis aut gentis, sub proprio jàm regimine constitutae, nomen assumant, bellum indicere. Neque hanc generalem et naturalem omnium obligationem tollere possunt causae aut rationes individuae et particulares: quae ad id tantum valere

debent, ut tempus, modum et ordinem rei exequendae designent. Undè non est in eo casu alia causa belli indicti aut indicendi quaerenda; sed cùr ità potiùs ab omnibus non fiat, erunt rationes aut excusationes, si quae afferantur, discutiendae.

QUARTUM.

LXXXII. Deindè, quum societatis publicae seu civilis hominis, cujus naturalis status sit aequalitatis et libertatis, ejusdem hominis institutio aut adinventio à scriptoribus juris naturae ac gentium fuerit hucusque communitèr receptus error, aut errori saltem obnoxia sententia, quemadmodùm in primo capite, tomi primi, nostri opusculi: *Orígen de los errores revolucionarios*, in Ignatio Schwarz, Francisco Finetti, Heineccio, Werenko, comite Swiecicki, Jo. Baptista Almici, aliisque notavimus, quorum pleraque opera in manibus studiosae juventutis versantur, nihil tàm ad pacem tranquillitatemque statuum servandam màgis accommodatum et penè necessarium est, quam illius perspicuam impugnationem huic proponere; signatis etiàm scriptorum locis, in quibus ejusdem, quamquàm minima, significatio inveniatur. Idcircò, quum Tractatum de Religione Ludovici Baylli, scriptoris caeteroqui, ut suprà diximus, paci

reipublicae addictissimi, anno elapso, 1830, in Valentina Academia pro munere auditoribus legeremus, explicandam aut emendandam curavimus, inter alia, probationem quartam, Propositionis tertiae, Capitis primi, Primae partis, in qua, ad statuendum Dei cultum publicum, hanc rationem assumit. *Homines rerum civilium causa in societatem coalescunt et congregantur, leges sanciunt, magistratus eligunt, qui rebus civilibus invigilent. Ergo meliori jure Religionis gratia debent sic sese gerere, cultumque publicum instituere*: quae tamen visa nobis fuit prorsùs falsa. Non enim sunt homines, qui rerum civilium causa, aut quia sic bonum visum est eis, in societatem coalescunt; sed quia Deus à principio, ut tota hac Dissertatione demonstrare conati sumus, eos in societatem constituit, legemque naturalem, ad publicam in ea conversationem servandam, praescripsit.

LXXXIII. Hanc eamdem erroris occasionem aut falsam doctrinam, quam in philosophia etiàm morali Francisci Jacquierii emendandam putamus, in recentioribus publicistis, Spedalierio, et Zallingero solidè ac eruditè impugnavit P. Joachîmus Ventura, Ordinis Cl. Reg. Theatinorum (in Commentariis *De Jure publico ecclesiastico*, Romae editis, apud

Franciscum Bourlié, anno 1826; ejusdem sacrae studiorum Congregationis judicio et censurae tùnc adhùc subjiciendis). Et ¡utinàm ejus doctrina, bono publico ante omnia spectato, illustrata tùnc fuisset ac propagata! Non fuissent fortè Italiae populi adeò ad rebelliones commotionesque, quae posteà emerserunt, et quorum semina absdubiò adhùc in animis multorum occlusa latent, comparati. Placet transcribere hic ad litteram, quae tùnc hac de re praeclarus auctor scribebat, ut prudentiores nùnc, alieno saltem periculo, et nos efficiamur.

LXXXIV. *Spedalierius* (ajebat ille, tom. I, pag. 94,) *tempore, in quo non nisi de hominis obligationibus disserere debuerat, de hominis juribus pertractare aggressus, cum Rousseavio aliisque sui saeculi sophistis tacita quadam transactione inita, omnes penè eorum philosophicas et politicas opiniones sustinuit; dummodò illi catholicam admitterent religionem. Quarè, contra errores, in Gibbonio et Frereto refutandis, fortis, contra insanas praejudicatasque saeculi politicas opiniones debilis omninò inventus est; quumque ejus fides nulli jure suspecta esse possit, majus detrimentum, Romae potissimum, quam Rouseavius ipse sub politico respectu, attulisse, experientia edoctus, affirmare non dubito.*

Ibi incauta et ignara juventus omnes haurit praeposteras opiniones, de societatis origine, de potestatis natura, quae toties ordinem publicum conturbarunt. Rouseavii enim, Hobbesii aliorumque sequutus vestigia, statum silvaticum *purae naturae statum noncupavit.* Status purae naturae, *ait ille*, modus existendi esset, in quo homines, unius ab alio sejuncti, viverent; aut simùl viverent, sed ut *casus* ferret, ab omni prorsùs soluti foedere, et unusquisque sibi unicè vacans. Hic status *purae naturae* dicitur, quia in eo *obligationibus tantum naturalibus* subjicerentur. Spedalieri, Dritti de l' uomo, cap. 7, §. 2.

LXXXV. De Zallingero verò, post merito debellatum hac in parte politicum ejus sistema, (tom. I, in Append. ad cap. III, §. XV, pag. 174,), sapientèr aeque ac prudentèr rem acu tangens, concludit. *Quum verò in hujusmòdi theoriis et principiis de origine societatis, de civitatis ortu, de imperii natura ejusque formis, nostris etiàm temporibus, erudiantur adolescentes; quum illud jus naturae et gentium potissimum in honore sit, quod rebellionis omnia semina continet, quodque tacita sed infenssissima contra omnem principatum conjuratio dici potest; mirari certè minimè deberemus, quod adeò insolens omnisque vel*

imperii vel fraeni impatiens juventus ubiquè penè inveniatur, quod novae in dies conjurationes et tumultus erumpant, quod dimidia humani generis pars alterum gubernare studeat; quin tamen, tanto administrorum concursu et auxilio, ulla pax, ulla securitas, ullus ordo, ulla legum et societatis stabilitas constitui usque adhùc potuerit. Non enim pecunia et bellicis tormentis, sed principiis, doctrinis et moribus omnis respublica omnisque ordo stare consuevit; atque de principiis potissimum doctrinisque, individualem superbiam faventibus, quae in Philosophiae et naturalis Jurisprudentiae scholis, bona prorsùs fide, tradita, deindè ad omnis religionis omnisque imperii contemptum incautoram mentes paulàtim adducunt, queri cum Poeta possumus:

Hoc fonte derivata clades,
In patriam populumque fluxit.

QUINTUM.

LXXXVI. Tanti tamen hujus viri venia, et ut errores rebellium aut ordinis publici, qui in Europa vigent, perturbatorum, funditus et màgis radicitus evellantur, ipsa societatis publicae divina institutio, quae ejusdem politicae theoriae aut sistematis, aeque ac nostri, praecipuus

scopus est, videtur mihi strictius ac pressius, quam ille facit, firmanda. Id autem assequemur, si statum primitivae familiae, ex qua universum genus humanum manavit, non dicatur *purè* domesticus: sed societatis etiàm *simùl* publicae seu politicus; quamquàm ex minimo tùnc adhùc numero civium instructus. Ità ut status publicae societatis non solum sit status homini naturalis in quantum est status roboris et complementi; sed in quantum est etiàm *nativus*, *primus*, *primitivus*, *primordialis*, et à principio à Deo inter homines institutus: cui opposita est, non solum omnium rebellium, sed et Bonaldii, hujusque etiàm, praestantissimi alioqui, scriptoris, opinio. Et re quidem vera sic ait: *Status* (tom. I, cap. III, pag. 85, lin. 13, cit. ed.) *in quo ens nascitur*, *dicitur propriè* nativus; *status verò ad quem tendit*, *dicitur et est sanè status* naturalis. *Status* nativus, *est status infirmitatis*, *imperfectionis*, *defectionis*, *defectus*. Naturalis *verò est status perfectionis*, *roboris et complementi*.

Arbor, *ut Bonaldii exemplo utar* (Bon. Legislat. primit. tom. I.), *in semine*, *homo in infanti incipit Semen et infans*: *ecce status* nativus. *Ast arbor ad maturitatem*, *homo ad virilitatem pervenit*: *ecce status* naturalis....

Status societatis pure domesticus, *fuit*

porrò status primitivae familiae, ex qua universum humanum genus manavit; et est quoque status illius familiae, quae, vel casu aliquo, vel consilio, ab aliis familiis vel à publica aliqua societate sejuncta, in aliqua orbis terrarum regione consistit.

Familia haec, sicùt primitiva hominum familia, dummodò nullo destruatur casu, impediri nequit, quominùs in familias *crescat, et, lapsu temporis, societas publica evadat. Quare status* purè *domesticus est status per se* transiens; *status publicus tantum* permanens *est*.... et pag. 89. *Et revera cum primum homines dividi coeperunt, ut, juxtà Numinis imperium, terram replerent, non per familias quidem, sed per nationes divisi sunt. Cain enim tantam nepotum suorum multitudinem secum adduxit, ut urbem Henochiam primus condere potuerit.*

Altera verò populorum post diluvium dispersio sub ductu nepotum Noë, populorum, *minimè verò familiarum fuit. Nàm de populis ab unoquoque Noë nepotum procedentibus ante turris aedificationem, Scriptura loquitur. Et revera sub ipsa penè dispersione, Noë nepotes tantum unusquisque familiarum sibi subjectarum numerum habuisse dicuntur, ut regna et imperia condere potuerint*.... Hactenùs ille.

LXXXVII. Veruntamen clarum est, valdè diversum esse statum, in quo nùnc homo nascitur, ab eo in quo primus homo à principio à Deo creatus est. *Res* (ait D. Thomas, I part., quaest. XCIV, art. 3,) *primitus à Deo institutae sunt, non solum ut in se ipsis essent, sed etiàm ut essent aliorum principia: ideò productae sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiàm per instructionem et gubernationem. Et ideò sicùt primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut stàtim posset generare, ità etiàm institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut stàtim posset alios instruere ac gubernare.* Reipsa igitur instruxit alios et publicè gubernavit, optimique politici regiminis regulas ac conditiones eis praescripsit; ne in vanum tantam scientiae et prudentiae excellentiam recepisse videretur: et ut ex tùnc jàm impleret, quod scripturus erat Petrus Ap. I, IV, v. 10. *Unusquisque sicùt accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicùt boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* Neque ad rem facit exemplum Bonaldii, quod hic auctor etiàm amplectitur, arborem in semine, hominemque in infanti

incipere; ex eo etiàm quod, quum originem societatis inquirimus, ubi moralis scientia exurgit, non id quod est necessarium et ad phisicam consequens constitutionem, sed quod ex ratione, electione et voluntate pendet, debemus assumere. Semen autem ad arboris, et infans ad viri statum, non electione et voluntate, sed necessario et phisicè certissimè, nisi moriantur, assurgunt. Undè et parùm commodi hujus rei discussioni videtur afferre distinctio status hominis in transeuntem et permanentem; maximè, quum status, ut plurimum, quid stabile et permanens ex se significet.

LXXXVIII. Falsum itèm nobis videtur, homines primum, ut juxtà Numinis imperium terram replerent, per nationes et non per familias divisos fuisse. Divisi namque fuerunt per familias: quae, quum ante divisionem non fuissent nisi familiae unius ejusdemque status, nationis aut populi, per divisionem ac dispersionem distincti ac diversi status, nationes aut populi evasere. Et hoc est, quod expressè habet Scriptura, ubi dicit Dominus ante dispersionem: Gen. XI, v. 6: *Ecce unus est populus*, *et unum labium omnibus*. Quasi diceret: generis humani propagationi, quam decrevimus et praescripsimus, convenit ejusdem dispersio, seu unius status, nationis aut populi in multos divisio; quam isti tamen homines, nimio societatis,

in qua versantur, amore, aut desertarum incolendarum regionum timore affecti, repugnant exequi. Venite igitur, et, pacti foederis memores misericordiaque erga ipsos commoti, confundamus linguas eorum, ut libentèr id, simùl ac certò, adimpleant. Nàm quod capite decimo anteriori populos ac nationes jàm distinctas commemoret Moyses, per *prolepsim* sive anticipationem id scriptum esse, suprà jàm diximus. Concedere insupèr, statum primitivae hominum familiae, aut ejus etiàm familiae, quae vel casu aliquo, vel consilio, ab aliis familiis vel à publica aliqua societate sejuncta, in aliqua orbis terrarum regione consistit, esse *purè* domesticum, et, non nisi lapsu temporis evadere societatem publicam aut statum *civilem*, est, ansam praebere rebellibus aut publicis statuum perturbatoribus, ut dicant, benè quidem haec se habere; sed tamen certum esse, hunc transitum seu progressum status *purè* domestici in statum *publicum* seu *civilem* non fuisse nisi opus aut consilium hominum: qui, familiam ante constituentes et paterno regimine gubernati, supremam publicamque potestatem sibi elegerunt, totamque auctoritatem vel uni tantum vel pluribus detulerunt; seu ut aliorum, qui incautè etiàm de hac re loquuntur, verbis utar, consilium id fuisse hominum, qui

quum vidissent numerum individuorum suae speciei augeri, nec sibi sufficere existimantes simplicitatem primitivarum suarum relationum socialium, perficiendam suam naturam judicarunt, egeruntque, cum eo statu, quem nos nùnc vocamus *politicum*. Quod est, gravissimam hanc fundamentalemque quaestionem confusam et indefinitam relinquere. Familia etiàm particularis, quae posteà, vel casu aliquo, vel consilio ab aliis familiis vel à publica aliqua societate sejungitur, si sine causa et injuria id faciat, societati seu statui, à quo defecit, subjecta permanere debet: quum princeps aut status seu patria aliquod jàm jus suprà ipsam illùc usque acquisierint. Si verò, merito et justa interveniente causa, talis separatio fuerit ab ipsa effecta, evadit *simùl* ipso facto societas publica, libertate politica, sicùt et primitiva hominum familia, ab omnium Conditore donata. Neque ad statuum publicam ac naturalem statuendam constitutionem, innitimur Rabbinorum traditioni de praecepto 6º à Noacho Noachidis dato, constituendi magistratus et judices, de quo agit Maimonides, cap. 3º: quod nonnulla tamen apud haebreos valebat auctoritate; sed rectae tantum rationis lumini, et ipsi praetereà, quam prae oculis habemus, sacrae Scripturae. ¿Quomodò enim, ut diximus, potuit non esse publica,

et omnium maximè, prima illa post diluvium humana societas, cui Dominus, immediatè et per se ipsum, loquutus est; leges praescripsit; aeternum quasi foedus cum ea pepigit, et quam paulò post, *ut terram repleret*, divisit in multas super faciem cunctarum regionum? Quod si ex tùnc vivere jàm coeperunt homines in statu publicae societatis, ¿ubinàm, et quandò, quaerimus iterùm ab adversariis, viguit status publicus independentiae, aequalitatis et libertatis? Fictitius est ergo talis status, quem tamen illi *naturalem* vocant: fictitiaeque simùl perturbatrices consequutiones, quas ex eo pàssim rebelles eliciunt.

LXXXIX. Reponent adhùc fortassè qui horum scriptorum litteram praecissè amplectuntur, nec hac nostra doctrinae politicae theoria perturbatorum perniciosas consequutiones aut cavillationes excindi. Licet enim primitiva familia, inquient, ponatur societas domestica simùl et politica, utriusque tamen jurium separationem, quae posteà facta fuit, et in praesenti existit, dubitari non posse, objicient publici perturbatores, quin hominum sit institutum: quo in eamdem, à qua tantoperà abhorremus, politicae potestatis humanam adinventionem incidimus. Verùm non animadvertunt, qui haec ità disputant, aliud omninò esse, auctoritatem publicam

seu politicam instituere, et aliud valdè diversum eam ad praxim reducere, ipsiusque diversa munia paucis aut multis, et his aut illis, committere. Priùs illud Dei opus, et à generis humani quidem exordiis, fuisse, defendimus. Istud posterius ad hominum posteà arbitrium prudentiamque spectare fatemur: ità tamen ut, in iis rebuspublicis constituendis, legis naturalis rectaeque rationis documenta et ordinationes sequantur: in quo tantum casu, eorumdem institutiones legitimae sunt censendae. Hanc societatis theoriam quasi verisimiliorem, et ad praedictos evertendos errores accommodatiorem, in hac Dissertatione probare conati sumus. Si rem non attigimus, aut alius, novis adquisitis luminibus, meliora his adinvenerit, ea etiàm et nos ex nùnc amplexamur. Non enim propriae tantum sententiae tenacitèr adheremus; sed quamdiù probabilior alia non adsit, quae hanc quaestionem gravissimam et communi societatis bono penè necessariam màgis illustret.

SEXTUM.

XC. Tandèm, quum nihil apud homines sit legitimum, nisi quod legi naturali ac praedictae eorumdem primordiali societatis constitutioni sit consentaneum, ex doctrina, in

antecedenti dissertatione comprehensa et praescriptione, aestimandae erunt rationes, quibus, non modò subditorum, sed et summorum etiàm imperantium jura, et eorumdem politicae institutiones ac placita legitima sint censenda. Ex praescriptione, inquam, quae cum praedicta lege divino naturali, à qua omnium hominum jura descendunt, conveniat. Memini, me quondam in animo habuisse, juris naturae ac gentium quasdam institutiones scribere, ut in proemio primi tomi, praecitati operis: *Orígen de los errores revolucionarios*, lectori significavi: quod equidem ad exitum non perduxi. Infirmitas valetudinis et aliae causae id egerunt. Summàtim tamen, et per quam paucis, exponam hic, quaenam procùldubio fuisset earumdem theoria: quod satis superque erit juris publici prudentioribus, quibus expendenda ac emendanda haec omnia nostra submittimus.

XCI. Principio igitur, praemissa subjecti seu juris naturalis definitione, quod aliud certè non est, quam facultas, lumine naturae nota, propriis necessitatibus subveniendi per usum licitum mediorum, quae ad nos pertineant: sive, ut alii dicunt, facultas propriam nostram naturam et existentiam conservandi et perficiendi, non aliam inter ipsum et, quod vocatur, jus gentium distinctionem intervenire

statuissem, quam quod istud, non ità proxime et necessario ut illud, continetur in primariis et universalioribus legis naturae principiis; et circà ea praetereà versatur maximè, quae ad mutua integrarum gentium aut nationum inter se officia spectant. Mox, ex proposito, et sub speciali titulo, egissem de natura hominis ejusque in hac vita beatitudine et perfectione naturali, quae in solo virtutis exercitio consistit: ejusque doctrina nonnullam fortassè lucem attulisset suprà communem pseudo-philosophorum boni publici vulgarem notionem. Dein, legis naturalis natura ac definitione explanata, juris naturae non aliud fundamentum, radicem aut causam remotam designassem, quam divinam voluntatem seu legem Dei aeternam: proximam verò praedictam legem naturalem, quae illius est in humana creatura participatio. Tùm, quarto capite, societatis publicae divinam institutionem, argumentis desumptis à sola ratione philosophorumque auctoritate, probassem. Quinto, id ipsum ex sacra Scriptura confirmassem: ex eaque, intellecta etiàm juxtà protestantium captum, qui multos in Europa sectatores habet, fictitium demonstrassem statum naturalem hominis independentiae, aequalitatis et libertatis: rebellium ac perturbatorum praecipuum aut quasi unicum firmamentum. Nàm, ut suprà in

Dissertatione adduximus, si aliquando talis status in mundo viguisset, maximè fuisset à diluvio ad statuum, populorum seu regnorum mundi notam originem et distinctionem : quo tamen tempore homines, non solum societate publica non caruerunt, quin potiùs, nimio ejusdem societatis jàm constitutae amore allecti, rebellionem, duce Nimrodo, excitarunt; civitatemque ac turrim, cujus culmen ad coelum pertingeret, aedificare intenderunt. Sexto, primum hominis officium in lege naturali contentum, illud posuissem : quo tenetur homo suum Creatorem, Deum, ex creaturis agnoscere, diligere, colere eique obedire; à quo toto coelo distare videntur recentium sophistarum conatus. Ibi, quamquàm cum multis juris naturae ac gentium scriptoribus de societate non cognita aliisque admissis erroribus, in meis scriptis perpetuo expostulem, non tamen inter eos retulissem, ut aliqui faciunt, conjunxisse illos juris naturalis ac legis naturalis notiones : quum haec duo, salva morum sana doctrina, separari nequeant. Septimo, ex Dei sanctitate et perfectione, societatisque humanae ab ipso institutae natura, officia deduxissem hominis, tùm erga se ipsum, tùm erga alios. Atque ità deinceps, de societatibus, conjugali, domestica, herili et adventitiis; de summa civili potestate ejusque juribus, tàm

immanentibus quam transeuntibus; de bello; de dominio; de proprietate; de pactis, aliisque rebus, ad vitam humanam in societate juxtà legis naturalis praescriptum foelicitèr traducendam, pertinentibus, tot capita seu lectiones addidissem, quot ad res singulas necessaria aut opportuna putassem. Neque praetermisississem, sive in principio, sive in fine, meum librum Europae principibus nuncupare, enixe eos deprecando, ut veram doctrinam in suis statibus promovere curent: utpotè unicum ac necessarium ad communem omnium foelicitatem medium faciendam. Atque ut lux veritatis, tenebris errorum comparata, clarius eluceret, adnotationes ad calcem textus apposuissem, sive ad singula capita singulas quoque addidissem Appendices, in quibus ii cum suis auctoribus apparerent, et manifestae simùl fierent causae sive elementa, undè ortum ducunt: idque praesèrtim praestare curassem in recentioribus scriptis, quae incautos aut imparatos lectores excipere solent.

XCII. Ante oculos et in manibus habeo hujus generis exemplar insigne. Editum est his diebus nostrae huic Valentiae, et vulgari lingua, hac de re opus, cui titulus: *El verdadero derecho natural. Obra necesaria á toda clase de gentes, por D. Braulio Foz*: quem, pravis studiis praeoccupatum, bona licet fide,

librum pessimum pervulgasse censeo. Non quidem omnem ejus doctrinam rejicio; sed ideam maximè fundamentalem, sive, ut vocant, *sistema* vel theoriam, quam ad jus naturae explanandum, suprà omnes scriptores qui de eo hucusque egerunt, sibi, veluti foelici casu, novatoris instàr, invenisse blanditur. Eam sumit ab hac sententia seu propositione senatoris Desttuti-Traci, in sua Ideologia: *jura entis sensibilis seu sentientis ex suis proveniunt necessitatibus*: quam, veluti praeclarum inventum, narrat his verbis: *A este libro* (scilicèt, Ideologiae praefatae), *debo yo mucho.... Y al llegar á aquellas palabras*: los derechos del ser sensible nacen de sus necesidades, *me sentí detenido de golpe, herido de esta idea. Me paro, leo una y otra vez esta inmortal proposicion, la examino, pienso en mi frustrado derecho natural, discurro, me aseguro mas y mas, corre mi pensamiento, vuelvo al principio, lo aplico á todos los estados del hombre, y he aquí que se descubre á mi vista un nuevo órden de cosas, un nuevo mundo iluminado de una luz soberana; de tal manera, que me pareció salir de una region de tinieblas á una region toda de luz, como si en medio de la noche, en un país desconocido, se levantase de repente el sol en el horizonte....*

Quam tamen propositionem falsam puto, socialisque ordinis subversivam. Quum enim necessitates producant desideria seu cupiditates non solum utiles et justas, sed plerumquè noxias et injustas, quae opere adimpleri nequeunt sine summa injuria, non possunt ab eis ortum ducere vera naturalia jura. Oppositorum enim oppositae sunt rationes et causae.

XCIII. Nascitur hic error ex eo quod confundit hic scriptor naturalem aut phisicum instinctum cum verò naturali jure; undè et ab appetitu sive desiderio necessario illud emanare ait (pag. 79, tom. 1,) et non à Deo, quemadmodùm lex naturalis à Deo procedit, ortum ducere, sed à sola hominis existentia, et neque ante, neque ab alio principio (ità pag. 82, n. 12 ejusdem tom.); legeque ipsa tandèm priùs et anterius esse (pag. 36, ad fin.): quae quidem omnia notissima sunt absurda. Demonstrare nobis tamen totum id sibi persuadet, aliis futilibus omissis momentis, quae, ipsa à se data juris naturalis definitione (pag. 124, n. 20,), corruunt, hoc solum nobis interrogando (pag. 108, n. 10,): *Dum homo siti laborat ¿quis ei praescribit ut bibat? ¿ratio àn necessitas?* = Rationem autem nos respondemus, si haec potatio humanus et deliberatus actus ponatur: quemadmodùm poni ab ipso

auctore etiàm debet, qui, ibidèm, reflexionem ei tribuit et libertatem. Aliòqui verum jus naturale haberet etiàm homo potum sumendi in hoc casu, quamquàm cognosceret, potationem illam morbum aut mortem sibi esse allaturam. Fictitium igitur, imaginarium, et sola hujus scriptoris illusione innixum est illud jus naturae, quod in hominibus, ante legem naturalem ab eaque sejunctum, ipse supponit. Undè ad ejus demonstrationem, et peregrina, et pugnantia assumere cogitur: veluti dùm ait (cap. 3, tom. 1, pag. 110, lin. 9,): ejus scientiam esse omninò phisicam: *Nuestra ciencia es toda fisica.* ¿Quis enim unquàm audivit, veri juris scientiam esse phisicam? Et paulò infrà (in eadem pag., lin. 20.) *Naturam non respexisse omnes antiquos* (ante ipsum, scilicèt), *in qua unicè reperitur veritas rationalium scientiarum* (*olvidados todos de la naturaleza, que es donde únicamente se halla la verdad de las ciencias de la Razon*). Ipsi, scilicèt, idem fortè sunt scientiae phisicae ac rationales.

XCIV. Video, et planè fateor, praedictam sàtis obviam animadversionem scriptori nostro non latuisse; concedit enim (infrà tom. 1, cap. IV, n. 9, pag. 202, ed. Valent. an. 1832), *exactum* (hoc est propriam loquutionem). *fore*, *dicere*, *jura injusta non esse jura*; *verùm*

suppono, addit, *omissa etiàm hac admonitione, ità hoc intelligi.* ¿Cùr ergo stàtim jus suum naturale non discidit, et super aliud probabilius *sistema* seu màgis fixum verumque fundamentum illud ipsum superstruxit? ¿Cùr amici sui Desttuti Ideologiam à se non abjecit, maximè cum nosset, continere eam errores, qui defendi nullo modo possunt, ut ibidem ait (pag. LIV Proem.)? Verùm referendum hoc puto, benevole lector, ad praejudicia studiorum, in quibus multi à librorum, quorum lectioni incumbunt, maximèque si novitatum amorem in eis inveniant, nimis aegrè sententia discedunt. Nascitur, ex aeducationis qualitate et conditione, in qua quorumdam auctorum iidem prae caeteris amorem ebibunt, indèque ad judicandum feruntur, proùt sunt affecti. Hic auctor, ut patet, gallorum, quos revolutio evomuit, scripta evolvere amat, ex iisque fidentèr veritatem educere, etiàm in rebus moralibus, sibi pollicetur. Mihi, planè fateor, ex illis vix ulla placent; communique nationis nostrae sensui adhaereo, quae, sanctorum piorumque scriptorum doctrinam semper tenendo, saniorem in his rebus sententiam tenere arbitratur, Indè enim fit, ut variarum sententiarum, quae juri naturali, benè intellecto, sunt prorsùs consentaneae, ab illis non capiatur sensus. Tres tantum ex his

attingam, graviorem operis impugnationem jurisprudentium muneri relinquendo.

XCV. Sanè et praedicta ratione neque nostram de divina societatis publicae institutione sententiam adversus rebelles ac statuum perturbatores (cui licet toto cap. I, tit. II, pag. 126, tom. 1. *De hominis sociabilitate*, accedere videatur, oppositam tamen ejus menti dicent infixam, qui varia operis loca attentè perpendant: ut tomi 1, pag. 85 ad fin.; tomi 2, pag. 36, n. 23; pag. 51, n. 16; pag. 62, n. 27; pag. 67, n. 5; pag. 81, n. 5, et pag. 180, n. 7 ad fin.: immò et super pactum, sive tacitum sive expressum, eamdem societatem fundatam censet, pag. 76, n. 13), neque Divi Thomae doctrinam, dicentis: *distinctionem possessionum et servitutem non esse inducta à natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanae vitae* (cui, non omninò adhaerendo, ait: pag. 199, tomi secundi: *A los Santos Dios no solia revelarles nada de lo que pertenece á las curiosidades de la filosofia: en eso los dejó hombres ordinarios; ni tienen mas autoridad que los meros filósofos, es decir, que la fuerza y valor de sus razones* &c.: quasi Divi Thomae doctrina pro revelata à suis discipulis habeatur, et origo juris proprietatis, à quo fere omnia pendent societatis jura, ad philosophiae

curiositates spectaret), neque illam aliam Juris Canonici de matrimonio rato et non consummato (de qua loquitur et miratur, pag. 261, tom. 2, tit. 5, cap. 3, n. 7, tantam ignorantiam nostris patribus adfuisse: ¡*Tanta ignorancia cupo en nuestros padres*!), eum existimo intellexisse.

XCVI. Non primam: quum enim praecipuus scopus nostrae doctrinae sit, politicas perturbationes ac rebelliones impedire, quae ab erroribus circà civilis societatis et potestatis originem necessario oriuntur, non sufficit, hominem sociabilem affirmare; immò et nec juris naturalis principium cum Puffendorfio à sociabilitate deducere: quia, etiàm in hac sententia, homines, quantùmvis necessitatum ac utilitatum incitamentis ad societatem publicam ineundam adigantur, ipsi tamen sunt, qui in eam voluntariè coalescunt et congregantur: ad ejusdemque propterea regiminis formam mutandam jus, et quidem imprescriptibile, habere creduntur, undè praedictae perturbationes emanant. Sed oportet, tàm societatis, quam supremae ejusdem Potestatis originem altiùs, hoc est, à Deo ipso repetere: quo nulla hominum jura nec providentiae pertingunt. Dicendum ergo putamus, legem naturalem primi hominis menti à Deo, quum adhùc solus esset, infusam, verbique

ministerio, ad omnes ejus posteros deinceps transmissam, societatem publicam praescribere: quae postquàm in prima familia incoepit, aucta dein fuit aliis familiis ex ea procedentibus; non quidem liberè eidem adhaerentibus, sed quia, tàm ex praedicta lege divino-naturali, quam ex positiva humana, quae ratio et voluntas erat communis eorum Patriarchae, Rectoris aut Principis: Adami, scilicèt, primùm, ac posteà Noachi, his tanquàm summis Imperantibus subjectae permanere debuerunt, et permanserunt: donèc à Noachi post diluvium ordinatione, qui ex Dei voluntate primitivae illius in multas publicas societates seu status divisionem noachidis denunciabit, Nimrodus recessit, rebellionem excitando, qua primus rex seu tirannus potiùs in regione Senaar, qua remansit, nuncupatus est.

XCVII. Non secundam: quia non sàtis convenientèr distinguit in ejus explicatione usum à proprietate. Neque verùm est, ut putat (pag. 324. et ult. tom. 1.), loqui D. Thomam in ea tantum hipothesi, qua homines res, quae objectum sunt proprietatis, nondùm occupassent. D. Thomas enim non est in hac re ambiguus nec obscurus. Constantèr tenet, et pro vera habenda est ejus haec sententia, hominem naturale dominium rerum exteriorum habere, in quantùm

per rationem et voluntatem potest iis uti ad suam utilitatem, quasi proptèr se factis. Deus namquè, cujus est terra et plenitudo ejus, ei eas donavit, ut expresse habet sacra Scriptura, Gen. cap. 1, v. 29, ubi ait Dominus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Et cap. IX, v. 3. *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Sed aliud est rebus indiscretè aut in communi uti ad sustentationem, aliud eas ad possessionem propriam occupare. Priùs est de jure naturae, ut docet idem sanctus Doctor, et patet: nec tamen posterius, hoc est, *proprietas possessionum est contra jus naturale, sed juri naturali*, ait, *superadditur per adinventionem rationis humanae* (2.ª 2.ªᵉ Quaes. 66, art. 2, ad 1.). Ratio est, quia, quum perfectius sit uti tantum rebus juxta necessitatem, et, ea salva, sine exclusione quidèm aliorum ab usu earumdem, quae proprietatem consequitur, jus naturae, quod in perfectissima lege divino-naturali fundatur, communitatem certè possessionum primo statuit, et ut quid perfectiùs subindicat; licet, actualibus et imperfectis, ut plurimum, hominis inclinationibus consideratis, ad curam rerum

fovendam pacemque in societate servandam, non modò ut licitam, sed et velùti necessariam declarat earumdem exteriorum rerum proprietatem. Et haec est praedicta sancti Doctoris sententia: *distinctionem possessionum non esse inductam à natura, sed per hominum rationem ad utilitatem vitae humanae.*

XCVIII. Sed neque rationem tertiae indicatae sententiae benè hunc scriptorem arbitror perpendisse. Dei siquidèm Ecclesia matrimonium tanquàm rem licitam et bonam probat ac benedicit; scit tàmen, à Spiritu Sancto edocta, meliorem esse continentiae ac religionis statum, juxta dictum illud Apostoli, quod qui matrimonio jungit virginem suam benè facit, qui verò non jungit, meliùs facit: quo idem Spiritus, qui, ubi vult, spirat, vocat et ducit sua gratia eos, qui sibi placent. Ut autem expeditior ac latior ad hunc majoris perfectionis statum, in quantùm fieri possit, pateat aditus: et matrimonium ratum sed non consummatum, Traditioni innixa, professione religiosa dissolvi, in Concilio Tridentino decrevit; et legem libertatis illud consummandi intrà bimestre Jus Canonicum concedit conjugibus: quibus positis, non nisi sub his conditionibus catholici matrimonium contrahunt. ¿ Ubi ergo locus tàm turpi ignorantiae, qua hic scriptor Patres nostros hac

in re laborasse miratur? Admiratio equidem mihi haec videtur impia; nec dubito, quin eam pejus aliquid sapere alii fortassè censebunt. Dificultates verò, quae ex his legibus oriri insupèr ipse putat, in quacumque Summa morali solutae inveniuntur.

XCIX. Satis. Haec pauca ex hoc opere indicasse sufficiat, ut moralis ac politicae nostrae scientiae electioni ac judicio, quod à majoribus accepimus, et, quibusdam ideologis novatoribus paucis exceptis, unus omnium est, màgis ac màgis in dies tribuamus, illorumque scripta cautè semper à nobis legantur.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ERRATA.

Pag.	lin.	scriptum.	legendum.
3...	5..	phisicae.........	*phisicè.* ....
Ibid.	8..	metaphisicae..	*metaphisicè.* ....
9...	16..	prima...........	*primum..* ....
10...	18..	Verùm.........	*Verum..* ....
11...	12..	alio.	*alii*.....................
42...	16..	gladins..........	*gladium..* ....
43...	13..	¿Vocarini......	*¿Vocarinè..* ....
58...	11..	Deo ipso.......	*Deo ipsi*..............
70...	8..	dominibus.....	*domibus*..............
74...	7..	nimis..	*minus*................
85...	4..	quam..........	*cujus discussionem.*
106.	16..	incautoram....	*incautorum*..........
104..	9...	semima...	semina......
128...	11..	[illegible].....	[illegible]......
1...	3..	tractaturus..	tractaturo..
...	4..	foret.........	foret mihi..
84..	16..	iisque........	iligue......

MARZO 1833.

Es esta obrita una propiedad del Real Convento de Predicadores de Valencia, puesta bajo la proteccion de las leyes.

SUPLEMENTO AL DIARIO
DE VALENCIA
del domingo 14 de Abril de 1833.

ANUNCIO.

De iure politico Dissertatio.. Art. I., cap. II., Ethicae Particularis Francisci Jacquierii: De societate in genere, et iuris politici origine, *Illustratio atque emendatio. Auctore Josepho Vidal, é Predicatorum Familia, in Valentina Academia sacrae Theologiae publico Professore.*

Para arrancar de raiz los errores revolucionarios, de que nacen siempre las revoluciones, no encuentra el autor de esta Disertacion sino dos medios ó teorías. A saber: ó admitir y probar, que no es de los hombres sino de Dios la institucion de la sociedad pública, ó soste-

ner y explicar, que, aunque sea esta institucion de los mismos hombres, no pueden ya estos deshacer ni reformar lo que hicieron. Si se admite la primera parte, que es la que él establece y admite, no hay lugar á los errores revolucionarios: porque los hombres, en esta hipótesi, no tienen ni tuvieron jamas sobre la sociedad otro derecho, que el de observar y cumplir la constitucion, sobre que Dios la fundó. Si se abraza la segunda, es necesario, persuadir á los pueblos, que, aunque hayan sido ellos los autores de la sociedad ó estado político, no conservan ya el derecho, que al instituirle tuvieron; por no permanecer siempre el constituyente superior al constituido: lo cual no está hecho, sino con dichos ó comparaciones muy débiles é inoportunas. Tal es, por egemplo, la de Heinecio, cuando, para eludir las consecuencias revolucionarias que de su sistema se siguen, dice, que, si eso fuera asi, esto es, si pu-

dieran los hombres deshacer ó reformar la sociedad ó potestad civil, porque con el fin de un mejor estar la formaron, tambien el que se entrega ó da por esclavo á un señor, quedaria, aun despues de hecha esa donacion, superior á él: en lo qual aparece desde luego la disparidad, que el acto de esta donacion es un contrato civil, que supone y es posterior á la existencia de la sociedad pública y derecho político; cuando aquel primero seria, el que constituyera y fundara este derecho: no pudiendo suponer sino el natural.

Dicen otros con menos conveniencia y oportunidad todavia, que los hombres son los que contraen el matrimonio; los Cardenales los que hacen Papa, y muchos de los Religiosos los que eligen á sus Prelados; sin que puedan por ello ningunos de estos deshacer lo hecho, ni ser suya la estabilidad del estado, ó la Autoridad, que se eligen: contextaciones todas muy flojas é incongruentes,

por cuanto todo esto es firme é irrevocable por derecho divino: el cual ellos desconocen en el caso é hipótesi, de que se habla. Se debe pues convenir, en que todos los principios ó máximas desastrosas de los anarquistas y revolucionarios son consecuencias como necesarias de la suposicion de la institucion humana de la sociedad civil: la cual para la paz y felicidad de los Estados se impugna como un error capital en esta Disertacion.

Dícese en ella, que se ilustra y enmienda al P. Jaquier sobre esta materia; porque, para decir claramente la verdad, que todo maestro público debe siempre, como tal, decir, es menester confesar, que este apreciable escritor, sin menoscabo alguno de su bien acreditada opinion, se dejó tambien llevar algun tanto de la idea de la institucion humana de la sociedad civil ó estado político; (que era como comun en su tiempo), teniendo á este por adventicio

y posterior al de libertad é igualdad, que supone natural y primero. Por esto, creyendo de buena fé ilustrar la cuestion, establece y sienta esta conclusion: *Jus politicum in ipso iure naturali fundatur, et ex eo originem habet*: en la cual, le parece al escritor de esta Disertacion, que se queda corto, y que admite aun tambien en ella un sentido falso. Porque lo que se dice comunmente, que se funda en el derecho natural, ó nace y proviene de él, es, lo que no es rigurosamente del mismo derecho. Tal es la propiedad, la prescripcion, la facultad de testar, y otras mil cosas semejantes; y aun todas las leyes humanas necesitan, para ser justas y propiamente leyes, fundarse y traer su origen del derecho natural. Se debe pues añadir, que el derecho político no solo se funda y trae su origen del derecho natural; sino que, en cuanto á su existencia, es rigurosamente de derecho natural. Y de este modo se ilus-

tra mucha parte de la doctrina, que en este articulo primero extiende. Mas hay en el otras expresiones, de las cuales no se debe decir, que se ilustran; sino que se mejoran ó enmiendan. Tales son, para los que no admiten la soberanía nacional ó del pueblo, en el N.º I. de este mismo artículo, las siguientes: *Nata quoque sunt subditorum erga Principes officia, postquam homines familiam antea constituentes et paterno regimine gubernati, supremam publicamque potestatem sibi elegerunt, totamque auctoritatem vel uni tantùm vel pluribus detulerunt..*: porque se contiene en ellas expresamente la dicha soberanía. Y discurrir y esforzarse en conciliar las dichas expresiones con el principio monárquico, que en esta Disertacion se sostiene, mas debe confundir que aclarar las ideas de los que nos oyen ó leen: las cuales conviene formen muy distintas y exactas los jóvenes desde sus primeros estudios

en materia tan interesante.— Se vende en la Sacristía de Sto. Domingo á 4 rs. vn. en rústica, y á 8 en pasta.

CON REAL PRIVILEGIO.

POR D. FRANCISCO BRUSOLA, IMPRESOR DE CAMARA DE S. M.

en materia tan interesante.—Se vende en la Sacristía de Sto. Domingo á 6 rs. vn. en rústica, y á 8 en pasta.

CON LICENCIA Y PRIVILEGIO.

POR D. FRANCISCO BRUSOLA, IMPRESOR DE CÁMARA DE S. M.